

B. M. II, 121.

X 1880370

II k
4932

h. 28, 13.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

FORO MINISTRO. RUM PRINCIPIS,

Quam

AUSPICE DEO, EX DECRETO AMPLISSIMÆ
FACULT. JURIDICÆ

IN ILLUSTRIS FRIDERICIANA

SUB PRÆSIDIO

DN. SAMUELIS STRYKII

JCti.

SERENISS. ET POTENTISS. ELECT.

BRANDENB. CONSILIAR. INTIMI, COM. PAL,

CÆSAR. ACADEMIÆ HALENSIS

DIRECTORIS

PATRONI AC PROMOTOR

DEVENERANDI

PRO LICENTIA

SUMMOS IN JURE HONORES CONSEQUENDI

D. Junii MDCXCIV. Horis ante- & post-meridianis

PUBLICAE ERUDITORUM CENSURAE SUBMITTIT

DAVID STAVINSKI, Regiom. Prufs.

HALÆ, Literis SALFELDII, Regiminis Elect. Brandenb. Typ.



155. A. M. A.
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS ELECTORIS BRAN-
DENBURGICI &c. &c. &c.

Summis in Prussia Regentibus & Consiliariis
Status Eminentissimis.

VIRIS

PER-ILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS
ET GENEROSISSIMIS

DOMINIS

Dn. JOHANNI ERNESTO
à VALLENROD,

Supremo Provinciæ Magistro, Hereditario Domino in
Pachollen/ Preckelwitz/ Altstadt/ Königssee/ Irge-
lack/ Neuendorff/ Willkienen/
Stollen &c. &c.

Dn. GEORGIO CHRISTOPHORO

Sinck à Sinckenstein/

Burggrabio Supremo, Hereditario Domino in Roggenhausen/
Sinckehnen &c. &c.

Dn. GEORGIO FRIDERICO à Kreuzen/

Prusiæ Cancellario, & Summi Tribunalis Præfidi Gravissimo, Here-
ditario Domino in Westlinen/ Pohren/ Wolffshöfen &c. &c.

Dn. OTTONI WILHELMO à Perband/

Supremo Mareschallo, Hereditario Domino in Liffen/ Nauten/
Grescheinen &c. &c.

PATRIÆ LUMINIBUS
FULGIDISSIMIS, MAGNIS
MUSARUM PATRONIS
& MÆCENATIBUS,

Dominis meis Gratosissimis

Salutem, Observantiam, Obsequia



*Ante in me Vestra, PATRONI
MAXIMI, propensio est, tantus-
que devotissimi obsequii, quo me ob-
strictum tenetis stimulus, ut, ubi-
cunque locorum constitutus sim, in-
terno quodam nexu ad edenda denuo observan-
tissimi cultus, argumenta trahar. Annus e-
nim, & quod excurrit, elapsus est, cum Speci-
men quoddam Academicum, in Patrio Solo na-
tum, ibique examini submissum, ad aram Tan-
torum Patriæ Columinum submisso adfectu offe-
rem. Benigne hos ausus meos, VOS, interpre-
tatos esse, tunc temporis reapse expertus sum:
Hinc ex eo tempore, omni in idem sum opera,
ut Gratia VESTRA ulteriori me dignum red-
derem. Quapropter, cum mihi, in hac nova*

):(2

felici-

*feliciter surgente Academia Brandenburgica,
hac felicitas contigerit, ut non tantum Studiis ex
voto colophonem imponere valuerim, sed & ad
Honores adspirandi, Auspicio POTENTIS-
SIMI ELECTORIS NOSTRI licentia mi-
hi facta: presentem DE FORO MINI-
STRORUM PRINCIPIS Dissertationem,
eum in finem conscripsi; Illam VOBIS, VIRI
PER-ILLUSTRES, tanquam Primariis,
SERENISSIMI ELECTORIS in Prus-
sia Ministris, atque Majestatis Electoralis
Vicem Gerentibus, consecrandam censui. Su-
scipite ergo hanc, tanquam documentum Subje-
ctionis & observantiae debita, meque ulterius VO-
BIS commendatum clementer habete: Vestra
enim Gratiae certitudo, ampliori fortuna mihi po-
tior erit. Valete PATRONI MAGNI, &
in longos ac Nestoreos annos Vestris Illustrissimis
Familiis, ac integra Patriae feliciter vivite su-
perstitis*

VESTRARUM PER-ILLUSTRIUM
&
MAGNIFICARUM GENEROSITATUM

Cliens devotissimus
DAVID STAVINSKI.



I. N. J.



Ostquam cognatio illa, qua mortales inter se conciliabantur, eo magis vires suas amittere incipiebat, quo longius homines a communi stipite discedebant: neque status naturalis, prout abstractus intelligitur ab omnibus hominum institutis, sufficiebat ad communem hominum tranquillitatem, utpote quorum salus, ob virium tenuitatem perpetuo anceps hæsisset, & facile per potentiorum libidinem subverti potuisset, nisi aliorum auxilio suffulta, malignos insultus malorum frustraßet. Hinc varias societates excogitarunt homines, quo malo, quod singulis imminebat, conjunctis viribus consulerent. Perfectissimam, & rebus gerendis aptissimam societatem invenisse videntur illi, qui unius Principis Imperio sese submiserunt. In hoc enim societatis genere expeditius consilium pro salute communi susceptum, in effectum deducitur, vid. quæ de Regni prærogativa disserit Illustr. Dn. Cancell. de Jena in *Tr. de Ration. Status Diss. 7. Concl. 9.* Cum autem Resp. satis ampla & in multas provincias, à se nimis longe distitas, diffusa sit, ut Princeps huic regendæ impar esse videatur, difficultati huic per Officiales suos mederi valet. Principes namque suos habent ministros, ad certa negotia destinatos, quibus ipsi, gravioribus districti curis, vacare nequeunt, qui, cum Majestatem adjuvare teneantur, pars corporis principalis esse dicuntur *L. 5. pr. C. ad L. Jul. Maj.* ubi & is, qui Consiliarium lædit, ipsius Majestatis læsæ reus arguitur. Non sine ratione itaque, Principes Ministros suos vulgari sorte exemerunt, & inter alia privilegia, etiam hoc beneficium ipsis indulserunt, ut exempti à Magistratum Oppidanorum Jurisdictione, non nisi in Foro ipsius Principis conveniri possint. De quo MI-
STRO.

A

STRO.

STRORUM PRINCIPIS FORO, jam plenius differere
constitui. Materiam vero in tria dispertiar capita. Primum per-
sonas quibus Privilegium hoc Fori competat, sistet. Secundum
causas, in quibus Forum privilegiatum locum habeat, exponet.
Tertium, causas in quibus Privilegium non attendatur, enume-
rabit.

CAP. I.
DE
FORO MINISTRORUM
PRINCIPIS IN GENERE.
SUMMARIÆ.

<i>Significatio Fori</i> §. 1.	<i>De Consuetudine</i> §. 15.
<i>Origo Fori</i> §. 2. 3. 4.	<i>Ubi Aulici Principis & alii Offi-</i>
<i>Divisio fori</i> §. 5.	<i>ciales de Jure Civil. & Pruten.</i>
<i>Diversitas Ministrorum Principis</i>	§. 16.
<i>de Jure Rom.</i> §. 6.	<i>An expectativam vel nudum Titu-</i>
<i>De Consuetudine</i> §. 7.	<i>lum habentes Privilegio fori gau-</i>
<i>Clerici</i> §. 7. 8.	<i>deant</i> §. 17. & seqq.
<i>Jurisdictio in clericos Principibus</i>	<i>Forum Familiae ministrorum Prin-</i>
<i>competit</i> §. 9. 10.	<i>cipis</i> §. 21.
<i>Etiã Civitatibus aliquando</i>	<i>Forum viduæ</i> §. 22.
§. 11.	<i>An minister Principis domicili-</i>
<i>Clerici ubi in Prussia conveniendi</i>	<i>um constituerit in Civitate, ubi</i>
§. 12.	<i>ratione officii habitat</i> §. 23 &
<i>Ubi Doctores & Professores</i> §. 13.	24.
<i>Ubi milites de Jure Romano?</i>	<i>Dissentientium sententia rejicitur</i>
§. 14.	§. 25.

§. 1. Non diu morabor in enodanda Fori diversa signifi-
catione, de qua vel ex vulgari loquendi usu cuilibet satis consta-
bit, vel ab aliis jam præstitum, vid. Emanuel Gonzalez Tellez in
Comment. ad c. 3. de For. Comp. num. 7. Ista autem instituto nostro
accommoda esse videtur, qua locum denotat, ubi controversiæ
civium componuntur *arg. L. ult. C. ubi in remact, L. 7. pr. ff. qui Sa-*
tisd.

tisd. cog. Et quamvis alias Forum insigniter differat à Judicio, quod ipsam controversiarum Forensium tractationem & decisionem significare solet, conf. Aristot. 5. *Eth. c. 9. verb. praterea cum facere L. 13. §. 2. C. de Judiciis*; mihi tamen vitio verti non debet, quod hæc duo tanquam *ισοδυναμῆντα* hac in Dissertatione supposuerim. Hoc enim ab aliis quoque factitatum esse memini vid. Rosfred. Beneventan, *Tr. Ordin. Judic. pag. 10.*

§. 2. Originem iudicii ultranatales Rerum pub. & Civitatum locare non audeo. Ratio namque ob quam iudicia ordinata sunt, non alias nisi in Repub. se exerit; hujus enim interest, ne Cives pro lubitu, sed juxta normam legum actiones instituant ad tranquillitatem civium communem, & si extra metam hanc erraverint & jus concivium suorum læserint, publica auctoritate in obsequii gyrum redigantur, & ita evitetur occasio majoris tumultus, si sc. singulis non concedatur, quod per Magistratum fieri potest *L. 176. D. de R. 7.* Postquam itaque primi parentes ex perfectissimo statu, ubi nulla directione opus fuisset, in miseram quam adhuc cernis, conditionem sese præcipitarunt, in qua mortales semper nituntur in vetita; maxima & deploranda inde lucta orta est inter hominum inclinationes & legem, qui sæpius in horrenda erumpit facinora, cujus triste exemplum præbet fratricidium Caini, ut jam tum quam maxime opus fuisset iudicio. Sed, quæso, inter pares cui nam competiisset Jurisdictio, par enim in parem non habet imperium: Cave tamen existimes, me hic excludere iudicium aliquod supremum seu cœleste; de inferiori & terreno saltem sermo est, vid. Selden. *Lib. 7. de J. N. & G. cap. 4.* Dissidia itaque inter gentes in statu naturali extra civitatem viventes, exorta, non aliter nisi Marte, vel Arbitro æquo & bono sopiri potuerunt.

§. 3. Neque Patria potestas nuda coërcitionem promiscuam omnium actionum inter liberos infert. Nam taceo, tenerimum esse affectum Parentum erga liberos, qui impedit, quo minus parentes facta liberorum, ad amissam justitiæ examinare possint, sed potius nimium ipsis indulgeant, quæ ratio etiam esse videtur, quod & in LL. Civ. patri interdictum sit judicare in causa filii

sa filii *L. 10. D. de Jdct.* non obstat *L. 77. D. de Judiciis* vid. Her-
man. Goëhausen, *Peric. Acad. part. 2. per. 4. Quest. 24.* Potissi-
mum autem cum Grotio distinguendum censeo, inter tria libe-
rorum tempora, Primum, imperfecti judicii; secundum, per-
fecti quidem judicii, sed cum filius pars adhuc familiae est; terti-
um, postquam filius potestate patria excessit. In primo tempore
omnes actiones liberorum subsunt imperio parentum, utpote,
quia liberi sese adhuc dum regere nesciunt. In secundo tempo-
re, non aliae actiones subsunt imperio paterno, nisi quae familiae
aliquod momentum afferre videntur. In aliis vero actibus libe-
ra facultas competit liberis, salva tamen reverentia parentibus
debita. Utroque hoc tempore parentibus simul etiam competit
jus, liberos vel ad officium cogendi, vel etiam emendandi. Pu-
niendi autem jus propter graviora filiorum delicta ad parentes vi-
solius patriae potestatis, minime spectat *conf. L. 3. C. de Patria potest.*
Quantum tempus tertium attinet, simul ac filius e familia patris
excessit, illico in omnibus sui juris fit, perpetuo tamen manente
pietatis & observantiae debito, quod tamen Jurisdictionem mi-
nime involvit, vid. Grot. *Lib. 2. de Jur. B. ac Pac. c. 5. §. 2. & seqq.*

§. 4. Omnis ergo Fori constitutio a solius imperantis arbi-
trio dependet, quod ratione naturali satis suffultum esse videtur.
In rebus enim propriis, nostrorum affectu corrumpimur, hinc
Principes constituerunt iudices & his solis dederunt potestatem
vindican- di laesos, adempta caeteris, quam natura indulserat, liber-
tate. Huic laudabili instituto obsequendum, ipsa dicitur uti-
litas. Multo namque honestius & ad quietem Civium conduci-
bilis est, tertium quendam constitutum esse, ad cognitionem
controversiarum, cujus nihil interfit, quam homines singulos,
nimium saepe amantes sui, quod jus putant, id manu exequi, *conf.*
Grot. Lib. de Jur. B. ac P. c. 20. §. 8. n. 4. Hinc vim vocant Leges,
quoties quis id, quod sibi deberi existimat, non in foro compe-
tente, sed potius propria auctoritate reposcit *L. 12. in fin. L. 13. D.*
quod metus causa. Res tamen iterum ad statum redit naturalem,
& unicuique privatam juris sui vindicationem concedit, quoties
Judex, citra certum atque praesens periculum aut damnum, ex-
spectari nequit, hinc contra aggressorem me meaque, privata
aucto-

auctoritate impune propugnare possum Grot. *Lib. 1. de J, B. ac P.*
c. 3. §. 2. Et fugitivum quoque debitorem injecta manu privato
creditori capere fas est *L. 10. §. 16. ff. quæ in fraud. cred.*

§. 5. Variiegatos judiciorum Ordines atque mutationes
variarum Rerump. evolvere, operosum nimis, idque inane foret.
*Vitium enim est quod quidam veritatem investigaturi, nimis magnum
studium, multamq; operam in res obscuras atque difficiles conferunt,
easdemque non necessarias Cicero Lib. I. de Off. c. 5.* Juvabit tamen
distinctionem Fori in genere ex Jure Romano brevibus repetiisse,
in cujus specierum enumeratione DD. variant vid. Rosfred. Benevent.
Tr. Ordinis Judiciarii pag. 10. Thom. Carleval. *de Judiciis*
Tom. 1. Tit. 1. Disp. 2. n. 1. Ego autem Forum commode dividi
posse arbitror in Commune & Privilegiatum. Commune est
quod jure communi tribuitur, estque vel Forum (1) Domicilii (2)
Contractus (3) Delicti (4) Rei sitæ (5) Professionis vel quod ob
certum vitæ genus tribuitur. Forum Privilegiatum iterum duplex
est. Vel enim Privilegium Fori pariter Jure Communi tribuitur,
& recte etiam dici potest Forum privilegiatum commune, referrique
potest ad quintam speciem Fori Communis, quale est (1) Studioforum
coram Rectore (2) Clerici coram Episcopo (3) Ministrorum principis
in Aula & judicio principali. Vel non tribuitur quidem jure
communi, sed ex speciali gratia Principis ob bene meritum, vel
aliam rationem concessum. Harum distinctionum usus infra satis
apparebit.

§. 6. Ministrorum Principum diversitas ab officii diversitate
dependet, quo funguntur, a quo etiam Officiales sæpius dicuntur,
qua de re pluribus vid. Anton Fernandez de Ottero *de Official. Par. 1. c. 1. n. 8.*
Officium enim frequenter pro munere publico & honore usurpari
solet, ut in *L. 2. ff. de his quib. ut indignis L. 4. §. 2. ff. de Off. Procon. L. 12. D. de Judic.* Cujacius
Lib. 4. obs. c. 22. cujus differentia de Jure Romano exprimebatur
adjectis Titulis Illustrium, Spectabilium, Clarissimorum, Perfectissimorum,
Egregiorum. Eos autem, qui speciatim sub his appellationibus
venerint, figillatim enumerare operæ pretium non existimo;
vid. interim Rosfred. Beneventan. *Tr. Ordinis Judiciar. pag. 2. n. 1. §.*

seqq. Dn. Præses in *Disp. de Jure Illustrum & Nobil. c. 1. §. 5.* Dn. Becman. *Tr. de Notit. Dign. Illustr. Dissert. 7. c. 1. §. 8. & seqq.* Singulis tamen privilegium fori competisse vereor asserere, propter *L. 1. C. ubi Senat. & Clariss.* nisi Legem hanc mutationem à Triboniano expertam esse dicas; quod facile largior, si eam cum *L. 5. Cod. Theod. Lib. 9. Tit. 1.* conferas, ex qua illam desumpsit Tribonianus, qua de re infr. dicturus sum pluribus.

§. 7. Hodie postquam harum appellationum usus partim defuit, partim aliam ac olim dignitatem exprimere videtur, difficile foret, secundum hunc titulum ductum Privilegium fori Ministrorum Principum modernorum exsequi. Melius ergo me facturum arbitror, si diversitatem Ministrorum, & privilegium fori ex consuetudine nostrorum temporum, & diversa Officialium qualitate metiar. Ministri Principum vel Principi inserviunt in negotiis Ecclesiasticis, vel Secularibus. Illi jure Canonico clericorum nomine insigniuntur. Ante restitutam Evangelii lucem clerici penitus seculari potestati se subtraxerant, & coram judice laico litigare ne quidem volentes poterant *cap. si diligenti X. de Foro Compet.* contra rationem, & consuetudinem veteris & novi Testam. vid. Mev. in *Quest. prælim. ad Jus Lub. Q. 3. n. 4. & seqq.* dissentit. Carlevallius *Tom. 1. de Judic. Tit. 1. Diss. 2. Q. 6. n. 395. & seqq.* Neque obstant *Can. 1. 2. & 3. Caus. 11. Q. 1.* quorum auctoritate Emanuel Gonzalez Tellez in *Comment. ad Cap. 8 de Judiciis n. 4.* probari posse existimat, jam seculo III. clericis per Pontifices Privilegium immunitatis à Jurisdictione laicorum concessum fuisse. Pontifices enim Cajus Anno 283. & Marcellinus Anno 296. decrevisse videntur, ne Clerici in profanis Judiciis litigarent, & hac ratione occasio Ethnicis daretur, in Christianos inquirendi, qui tum temporis gravissima quæque ab Ethnicis perpessi sunt. Quemadmodum & ipse Paulus *1. Corinth. 6. v. 4.* ob hanc rationem Christianis patientiam potius quam litigia judicialia svasisse videtur Grotio *Lib. 1. de J. Bac. P. c. 2. §. 8. n. 4.* Et olim Episcopi aliique Prælati non Jurisdictionem, sed audientiam saltem sibi arrogarunt, id est nudam cognitionem eorum, quæ ad Ecclesias & clericos spectabant, quod ultra erat, seculari potestati relinquebant *Tot. Tit. C. de Episcop. audientia.*

§. 8. In-

§. 8. Incrementa tamen non latentia potestas & Jurisdictio clericalis in Imperio occidentali post Carolum M. sumpsit, ex cœca Imperatorum sanctitatis persuasione, & ex veneratione, qua clericos usque ad superstitionem prosequerantur, more antiquis Germanis jam usitato, teste Tacito *de morib. Germ. c. 7. & 11. vid. Capitula. Caroli & Ludov. Lib. 6. c. 109. in C. LL. Antiquar. Lindenb.* Progressu temporis aliæ Constitutiones emanarunt, quarum aliquas juxta temporum seriem relatas vid. ap. Anton. Augustin. *in Epit. Juris Pontif. Lib. 30. Tit. 5. Coriolanum in Breviario Anno 314. pag. 67. adduct. à Gonzalez ad d. c. 8. X. de Judiciis n. 4. in fin.* hujus rei etiam documentum præbet *Constitutio Friderici II. Imperatoris de Statutis & Consue. contra libertatem Ecclesiæ editis §. 4.* Adde *de potestatis Episcopalis augmento illustr. Dn. Rhetius in Inst. Juris pub. Lib. 1. Tit. 2. §. 95. & seqq.* Qua Imperatorum munificentia elati Clerici, non modo ipsorum Imperatorum potestati sese subtraxerunt D. Brunn. *Consil. 142.* sed & quidvis contra eorundem auctoritatem moliti sunt, ut adjuvarent tyrannidem Pontificis sese Imperatori præferentis *Cap. Venerab. X. de Elect.* Hujus autem dominatus Pontificii structura experta est ruinam non levem, postquam B. Lutherus, aliique reformatores veritatem Evangelicam, à squalidis Pontificiorum traditionibus abluere cœperunt.

§. 9. Hodie itaque postquam Jurisdictioni Pontificis in terris Evangelicorum Principum repudium datum per *Art. 5. Instr. pac. §. si quid annatarum.* Jurisdictio ecclesiastica intra terminos territorii circumscripta est, quam quilibet Principum in Ecclesiæ Ministros per Consistoria, quæ partim ex Jureconsultis, partim ex Theologis constituuntur, exercet; vel ubi Consistoria non constituta, in supremo suo Tribunali exsequitur B. Dn. Brunman. *Jurisprud. Eccles. Lib. 3. cap. 1. §. 3.* De illis itaque clericis qui Ecclesiæ Aulicæ inserviunt, & salario à Principe constituto fruuntur, & vulgo Ministri Ecclesiæ Aulicæ vocantur die *Hoff-Prediger* / nullum dubium est, quin jurisdictione urbana exempti sint, etiam si inibi larem constituerint. Dubitari tamen posset, num & Pastores, aliæque personæ ecclesiasticæ civitatum Ecclesiis ministerium exhibentes, qui stipendiis Senatus aluntur, eodem exemptio-

emptionis jure gaudeant? Quod pariter affirmandum censeo, cum regulariter non alibi, quam coram consistorio forum sortiantur, Quodcunque enim Episcopis olim vi jurisdictionis competuit, id hodie Principes Evangelici jure superioritatis Territorialis Consistoriis suis vindicant *argumento §. Jus Diocesenum Art. 5. Instrum. Pacis.*

§. 10. Quod adeo verum est, ut Principibus Augustanæ confessionis jurisdictio Ecclesiastica competat, etiam in Clericos Romano-Catholicos si scilicet hi in Territorio aliquo Principum Evangelicorum, vel propter possessionem bonorum Ecclesiasticorum Anno 1624. die 1. Januar. vel propter Religionem quacunquē 24. anni illius parte exercitam, tolerandi. Et vice versa idem jus etiam Romano-Catholicis concessum; cum ista tamen limitatione, ne aliquid Religioni aut conscientis adversum occasione Jurisdictionis ipsis imponatur. Ubi enim alteruter Magistratus Ecclesiasticus jus Diocesenum Anno 1624. exercuit, ibi quoque exercent in posterum, salvis tamen conscientis & religionibus subditorum receptis, *d. §. Inst. pac. vid. Illustr. Dn. Rhetius Lib. 1. Inst. Jur. pub. Tit. 16. §. 35.*

§. 11. Id, quod supra §. 9. dictum est: Ecclesiæ Ministros in Consistorio Principis forum sortiri, locum non habet, quoties Ministri Ecclesiæ aut Scholæ huic Privilegio Fori renunciaverint, qua de re *infrac. 3.* vel quoties civitati municipali exercitium jurisdictionis in Ecclesiasticas personas, & jus Consistorii quaesitum est, vel ex diuturno usu, vel concessione Principis Brunm. *Jus Eccles. Lib. 3. C. 1. §. 4.* Civitates enim inferiores Jurisdictionis Ecclesiasticæ non incapaces esse comprobatur Cothman *Vol. 4. Consil. 32. n. 51. & seqq.* Hujusmodi Jurisdictionem Ecclesiasticam Stralsundensibus competere tradit Mevius *Quest. prelim ad Jus Lub. 3. n. 20. & seqq.* ubi, vocationes Pastorum non modo eam conditionem annexam habere, ut in politicis causis, Magistratui Urbano obtemperent, sed receptos, observantiam istam stipulata manu promittere debere, asserit.

§. 12. In Prussia ratione officii aut doctrinæ clerici non alibi quam coram Consistorio conveniendi sunt. Quod si vero Clericis, ut & Scholæ ministris controversia moveatur ratione, contra-

contractus aut delicti extra officium commissi, distinguitur inter Clericos Civitatis Regiomontanæ, aliosque ibi degentes; & Clericos extra Regiomontum, vel Ruri, vel in aliis Civitatibus minoribus habitantes. Illi non nisi coram Senatu Academico, & si huic renunciaverint, coram Ordinario loci Judice; hi vero coram cujuslibet loci Præfecto aut Jurisdictionario conveniendi: nisi delictum Clericorum, vel remotionem, vel suspensionem ab officio, vel coërcitionem corporalem mereatur, tum primam instantiam coram Consistorio Ecclesiastico sortiuntur, à quo deductis Clericorum ornamentis, Judicio civili remittendi, si scilicet exauctorationem promeruerint. vid. Juris Prut. *Processus Tit. 10. §. 12.*

§. 13. Mixtam ex dignitate Ecclesiastica & Seculari, qualitatem habere videntur Professores & Doctores, vid. Illustr. Dn. Rhetius *Lib. 1. Inst. Juris pub. Tit. 16. §. ult.* hinc etiam jure Clericorum utuntur, Tiraquellus *de privileg. piæ causæ in præfat. vers. item relictum* nec statutis localibus ligantur. Cothman *Respon. Acad. 10. n. 2.* Professores itaque jam olim jurisdictioni Magistratum municipalium exemptos fuisse, traditur in *L. 6. verb. nulla municipali, nulla curialium conventionem vexentur D. de Profess. & Medic. ubi Medicis, & maxime Archiatris, eorum uxoris, imò integræ ipsorum familiæ, immunitas à Jurisdictione urbana, aliisque oneribus civicis, satis laute concessa. Conf. L. ult. C. eod. Lib. 10. Tit. 52.* Fridericus Imperator autem Jurisdictionem in Professores Episcopis dedit. *argt. auth. habita C. ne filius pro patre*, quorum officium etiam curam Academiarum complectitur. vid. Carpz. *Jurispr. Eccles. Lib. 1. Defin. 8.* Unde etiam Episcopi Cancellariatus munere fungi, gradumque conferendi licentiam aliis Professoribus concedere solent. Hanc Jurisdictionem Episcopalem Principes Evangelicos sibi vindicare supra dictum est §. 9. Hinc aliquando in propria Persona Cancellarii munus subeunt, & licentia conferendi gradus immediate ab ipsis proficiscitur, sicut in Academia Francofurt. contingit, ob Jus Episcopi Lebusiensis ad Electorem devolutum: Und weil des Bischoffen zu Lebus / als Canzlern der Universität / Recht seithero anf Uns kommen / und in Unserer und nachkommender Churfürsten zu Brandenburg

Denburg Person consolidiret &c. Recess. Elect. de An. 1617. quem
exhibet Dn. Becman in *Tr. Memor. Notit. Univers. Franc. Cap. 3. §. 1.*
B. Dn. Brunnem. *Jurispr. Eccles. Lib. 1. C. 4. Membr. 12. §. 12.*

§. 14. Ministri Principum negotiis Secularibus destinati,
iterum duplicis generis sunt, vel negotiis bellicis operam dant,
vel pacis; illi vocantur militares, hi Civiles. Milites speciales
suos habent Magistratus, & jurisdictioni ejus loci, in
quo militant, non sunt subjecti, quamvis inibi domum, habi-
tandi causa sibi comparaverint, quod ipsis licitum fuisse colligi-
tur ex *L. 13. pr. D. de re milit.* Sed facultas judicandi controversias
militares concessa est Magistro militum. *L. 2. C. de Off. Mag. milit.*
cujus curæ Justinianus etiam Duces subjecit. *L. 5. C. de Off. Mag.*
milit. Conf. L. 4. C. de Off. milit. Jud. Non obstat *Lun. C. in quib. cau-*
sis milit. vid. infr. Cap. 3. Magister autem militum ipse, utpote
Magisteriæ potestatis sudoribus clarus, nullius, nisi ipsius Prin-
cipis Jurisdictioni subest. *argumento L. 3. pr. C. ubi Senat. & Clar.*

§. 15. Hodie ad decidendas controversias militares majoris
momenti, solet certum aliquod judicium formari, ad quod Offi-
ciales militum ex diversis Cohortibus deligi solent. Quod si
autem controversia sit inter militem & Civem vel Rusticum, Ju-
dicium mixtum ex personis militaribus & civilibus constituen-
dum est, juxta Edictum à Seren. Elect. Brand. Friderico Wil-
helmo b. m. §. Wann sich aber Streitigkeit zwischen Soldaten
und Bürger: *publicatum Clivia Anno 1665. die 6. Octobr.* Notatu
dignum etiam est, quod alicubi causæ Ecclesiasticæ, matrimo-
niales, ut & Clericos militares, die Feld-Prediger / concernen-
tes, coram Consistorio militari ventilari debeant, allectis ad
hoc Clericis integritate vitæ conspicuis, cujus judicii Processum
Magister militum, der General-Auditör, dirigere debet. *vid.*
die erneuerte Schwedische Krieges-Artic. Tit 3. p. tot. & Regis Da-
nix Christiani V. Kriegs-Gerichts-Instruction, C. 5. von Consi-
storial-oder Geistl. Krieges-Gerichten.

§. 16. Personæ Civiles, quarum ministerio Principes utun-
tur, diversi sunt ordinis, quos enumerare hic non vacat, *vid.*
Dn. Mylerum ab Ehrenbach / in *Hyparchol. C. 1. §. 5.* Omnes ta-
men a Jurisdictione oppidana, ubi habitant, liberi sunt. *Lun. C.*

si qua

si qua præd. potest. Tota itaque Principis Aula subjecta est impe-
 rio, atque Jurisdictioni Magistri officiorum, des Hoff-Marschal-
 cken. L. 3. C. de præpositis Sac. cub. L. 4. C. de Silent. L. 4. C. de Agent.
 in reb. L. 2. C. de Decanis. Cujus dignitas splendidissima inter Il-
 lustrissimas jam olim relata: ipse vero solius Principis Judicio
 subjectus. L. 3. C. ubi Sen. & Clar. Ex hac ordinatione Juris
 Civilis profecta esse videtur consuetudo, quod adhuc hodie in
 Comitibus Imperii Elector Saxon. Seren. tanquam Archi-Mare-
 schallus Jurisdictionem, tam in civilibus, quam criminalibus, in
 familiam Electorum & Statuum Imperii exercent: Bertram. Tr.
 de Comitibus Memb. 5. n. 60. vid. Illustr. Rhetius Lib. 1. de Jur. pub. Tit.
 12. §. 9. Item, quod adhuc hodie in aliis quoque Principum Au-
 lis huic Magisteriæ officiorum dignitati annexa sit functio diri-
 gendi Aulam, & Jurisdictionem in alios aulae ministros exer-
 cendi. Assessores autem Parlamentorum Principumque Consi-
 liarii, nullius præter ipsius Parlamenti, vel Collegii Jurisdictio-
 nem agnoscere solent, quod etiam in Assessoribus Camerae Im-
 perialis obtinere tradit. Mevius *Quest. prælim. ad Jus Lub. 3. n. 36.*
 vid. hac de re Dn. Rhetius *Inst. Jur. pub. Lib. 4. Tit. 1. §. 26.* In Prus-
 sia Supremi Consilii Status, Consilii summi Tribunalis,
 Consilii Judicii Aulici, horumque Secretarii, ut & præfecti seu
 Capitanei primam Instantiam coram Judicio Aulico habent. Mi-
 nistri Camerales, Assessores Ærarii, & alii inferioris ordinis, co-
 ram Officio supremi Burggraviatus conveniendi. vid. *Jur. Pr. proc.*
Jud. Tit. 10. §. 11.

§. 17. Quæritur an privilegium hoc immunitatis a Juris-
 dictione urbana competat etiam illis personis, quæ nudum Ti-
 tulum, cum expectativa alicujus officii a Principe impetrarunt,
 Mevius ad *Jus Lub. Lib. 1. Tit. 2. Art. 2. n. 39.* & Mylerus ab Ehrenbach/
Hyp. C. 9. §. 11. Qui negativam amplectuntur, juris ratione non
 destituti. Certum est Jure Can. promissiones hujusmodi de
 beneficiis Ecclesiasticis nondum vacantibus, tanquam detesta-
 biles & iniquas improbari C. 5. X. de pactis, quæ per importunita-
 tem nimiam, & per ambitionem improbam, ut plurimum ex-
 tortæ esse censentur. C. 2. & 3. de Concess. præb. in 6to. Hujusmodi
 enim promissio inducit votum captandi mortem alterius C. 2. X.



de Concess. præb. Sane apud nostrates, satis usitatus ille modus constituendi Adjunctos Ecclesiæ ministros, viventibus adhuc ordinariis, cum hac conditione tacita vel expressa, ut filiam antecessoris sui, vel promotoris cognatam in uxorem ducat, vel ut aliud pro impetrata spe succedendi, præstet, non longe remotus est a crimine Simonix. *Argumento cap. 12. X. de Simonia. & alibi passim,* quo tamen promotionis genere apud Lutheranos quid frequentius?

§. 18. Hæc prohibitio, quanquam de præbendis Ecclesiasticis concepta sit, extenditur tamen etiam ad officia Civilia, ob similitudinem rationis, ne sc. expectativam impetrans captaret mortem Ministri. in cujus locum succedendi spes ipsi facta. Mylerus *d. L. §. 3.* Negotium enim omne, quod infert votum captandæ mortis, etiam jure Civili improbatum. *L. 29. §. fin. & L. 30. D. de Donat. L. fin. C. de pact.* Non obstante tamen hac prohibitionem, per diuturnam praxin expectationem alicujus dignitatis vel officii concedere, in consuetudinem abiisse videtur. *L. diuturna & seqq. D. de LL.* Quod cacoëthes originem traxisse videtur ex curia Romana, juxta cujus stylum interdum duodecim bullæ de providendo uno beneficio nondum vacante, conceduntur Mylerus *d. L. §. 52. Gail. Lib. 2. Obs. 155. n. 6.* ex qua, tanquam ex fonte inter Christianos mos ille diffusus atque derivatus esse videtur. Si dicendum, quod res est, tolerabilius esse existimo, si generalis expectativa non adstricta alicui officio nominato concedatur, quam si specialis; Denn solche Leute sitzen einem redlichen Bedienten immer auf dem Kessicht/ und warten mit Verlangen auf seinen Todt. *Argum. L. ult. C. de pactis* vid Myler. *Hyparch. C. 3. §. 40.* Interim etsi vel maxime hæc concessio occasionem det voto captandæ mortis, hoc tamen non fit vitio concessione, sed vitio ejus, qui hac concessione abutitur. Conf. ea, quæ Dn. Præses de pacto Successorio viventium disputat *in Usu Modern. D. Lib. 2. Tit. 14. §. 15. & latius in Tr. de Succes. ab Int. Diss. 8. C. 12. §. 33.*

§. 19. Ut e diverticulo in viam redeamus & quæstionem supra §. 17. propositam decidamus distinguendum esse existimo inter Ministros Titulares, qui simul negotia quædam expediendo Principi inserviunt, & inter illos quibus sine aliqua functione, hujus-

hujusmodi nuda dignitas concessa. Illis majori fiducia Privilegium fori asserere possum, vid. Franci Nigri Cyriaci *Controv. Foren.* 201. n. 42. ubi ex Anguil. *Consil.* 16. refert; quod ad hoc ut quis habeat prelationem immunitatem & Privilegium sui officii, necesse sit, ut illud actu exerceat, argumento *L. 2. C. de off. Mag. off.* & *L. 3. C. de Tyron.* Sed de his magis dubitari posset; Affirmativæ sententiæ tamen adhuc subscribo, motus *L. 3. C. de Silent.* §. *his addimus* & *L. 3. §. 2. C. ubi Sen. & Claris*, ubi dicitur, quod, qui honorariis codicillis, sine tamen administratione decorati fuerint, pariter ab alio iudice judicari nequeant, nisi ad ejus iudicium specialis Principis emanaverit iussio. Illud tamen facile largior, minorem hanc esse dignitatem, utpote quæ ex fictione provenit, illâ quæ ex veritate, quod pariter ex *d. L. 3.* elici potest. Huic accedit, quod Princeps alicui alicujus dignitatis expectativam, vel nudum Titulum concedens privilegia huic officio annexa concessisse videatur, alias hujusmodi beneficentia Principis effectu careret. Inde non est vana, licet parum Christiana, contentio, quando interdum magno ardore super Titulis inter homines pugnatur; Titulo enim denegato, denegari quoque alicui intelliguntur jura, quæ iste Titulus innuere solet Dn. Pufendorff. *de Jur. N. & G. Lib. 1. §. 18.* Conferantur ea quæ tradit Petrus de Murga Æmilianensis *Tr. de Benefic. Eccles.* Q. 10. Sect. 1. n. 8. & 11.

§. 20. Extenditur hoc Privilegium Fori Ministrorum Principis de Jure Rom. ad uxores, non tamen ad sponsam, quæ adhuc domicilium suum retinet *L. 32. D. ad Municip.* neque ad eam, cum qua quis illegitime cohabitavit *L. 37. §. 2. D. ad Municip.* eorumque liberos famulos & integram familiam, quod dilerte asseritur in *L. 12. pr. C. de proxim. Sacror. Scrin.* & *L. 3. C. de Privil. Schola. auth. Habita C. ne filius pro patre.* Petr. de Murga Æmil. *de Benef. Ecclesiast. Quest. 10. Sect. 1. n. 22.* Hinc & Augustæ Imperatricis Ministri pariter immunitatis privilegio gaudent *L. 3. C. de prepos. Sac. Cubicul.*

§. 21. Hoc Forum Uxor etiam post obitum mariti retinet, quam diu Statum viduitatis den Wittumbß Stuhl non mutaverit, & ad secunda vota non transierit. Vidua enim adhuc corruscat radiis defuncti mariti argumento *L. 22. §. 1. D. ad Municip.*

pal. Et quamvis alias regulariter actor sequatur forum rei *L. 2. C. de Jurisd. omn. judic. L. fin. C. ubi in rem act.* Vidua tamen alterum convenire volens, poterit uti beneficio *L. un. C. quando Imper. inter pup.* omnibus miserabilibus personis indulto, cujus ope quemlibet immediate coram Principe convenire poterit, neglecto iudice primæ Instantiæ Thom. Carleval. *Tr. de Judiciis Tom. 1. Tit. 1. Disp. 2. Quest. 6. Sect. 7. n. 525.* Et quamvis *d. Lunic.* in Camera non amplius observari velit Gail, *L. 1. Ob. 1. n. 40.* id tamen non refragatur, quo minus Vidua alium immediate coram Principe suo conveniens, audienda, sit vid. Dn. Carpz. *Lib. 2. R. Ele. 19. & Dn. Præf. in Usu Mod. ff. Lib. 5. Tit. 1. §. 31.* Sed quæritur utrum vidua, si ex jure sibi cesso agat, hoc privilegio uti possit, & adversarium immediate ad curiam Regiam trahere possit? In hujus Quæstionis Decisione non conveniunt. Erasm. Chockier. *de Jdiction. in Exempt. part. 1. Q. 25.* negat, ob rationem, quod hoc ipso forum mutetur, & locus fiat Edicto prætoris *de Alien. Judic. mut. caus.* Alii distinguunt inter cessionem ex causa onerosa, & cessionem ex causa lucrativa, in illa viduam foro privilegiato uti posse existimant, in hac vero non. vid. Anton. Fab. *in C. Lib. 3. Tit. 12. Def. 22.* Verior tamen videtur mihi sententia, quæ hanc quæstionem indistincte affirmat, dummodo bona fide & sine fraude facta sit cessio. Neque obstat Edictum Prætoris *de Alien. Jud. mut.* quod locum non habet, quoties dolus cessat *L. 4. §. 1. ff. de A. Jud. mut. caus.* Hanc sententiam communem dicit Alphons. de Olea *in Tr. de Cession. Jur. & Act. Tit. 2. L. 4. & pene multos in hanc sententiam consentientes affert. vid. quoque Hector. Capycius Latro Decis. 54. p. tot. Carlevall. de Judiciis Tom. 1. Tit. 1. Disp. 2. n. 615. & 661.*

§. 22. Hoc Privilegium immunitatis à Jdictione urbana Ministris principum tributum, potissimum se exerit in Civitate ea, in qua Aula est, vel in qua Ministri Principum ratione officii commorantur; etsi inibi domum sibi comparaverint, aut per decem annos ibidem habitaverint. Differunt enim Domicilium & domus seu habitatio vid. Carlevall. *Tom. 1. Tit. 1. Disp. 2. Q. 1. n. 12.* hujus possessio facti saltem, illius constitutio juris est. Mevius *Lib. 1. ad Jus Lub. Tit. 2. n. 55.* non obstat *L. 2. C. de incolis.* Sola enim Domus possessio domicilium non facit *L. 17. §. 13. D. ad Municipal.* Sed
 Domi-

Domicilium alias constituitur, tum animo seu proposito permanendi *L. 27. §. 2. D. ad Municip. L. cives C. de incolis*, tum ipso facto five actuali habitatione, veluti si quis fortunarum suarum summam in Civitate constituat *L. cives C. de incolis*, quæ duo tamen copulative requiruntur, adeoque animus per factum declarari debet, alias neque sola animi contestatione *L. 20. L. 27. §. 2. in fin. D. ad Municip. L. 7. C. de incolis*, neque sola habitatione domicilium constituitur, *L. 17. §. 5. & 13. D. ad Municip. L. 5. §. 3. in fin. D. de Capt. & postlim. rev. add. Carpz. Lib. 2. Resp. 22. n. 2. & seqq.*

§. 23. Actualis habitatio probatu facilis est, non æque permanendi animus; qui aliquando exurgentibus conjecturis colligitur, quæ animum perpetuo commorandi, ibique domicilium constituendi arguunt (1) ut in *L. 203. D. de V. S. (2) L. unic. C. ubi peccantur Tutor. & Curat. (3) L. 2. C. ubi Sen. & Clar.* vid. *Carpz. Lib. 2. Respon. 22. n. 6. Mevius ad Jus Lub. Lib. 1. Tit. 2. n. 64. Gail. Lib. 2. Ob. 35. n. 9.* His tamen conjecturis locus non est, quoties ex singulari conditione personæ contrarium apparet, *Struv. Syn. Jur. Civ. Exer. 9. Tb. 25.* discernendum enim est, qua mente & quomodo quis in civitatem venerit, an libere, & animum alibi commorandi deseruerit, an vero non. *Mevius Lib. 1. ad Jus Lub. Tit. 2. Art. 2. n. 18.* Ministri ergo Principis in civitatem venientes, fortuito quasi, & quidem jussu Principis, non tam habitandi, quam officio fungendi causa inibi domum emisse censentur, præsumptio autem officii tollit præsumptionem domicilii, *Cothm. Conf. 21. Volum. 1. n. 97.* Nemo regulariter forum sortitur in eo loco, ubi quispiam ex mandato domini tanquam Superioris subsistit, ibique officio suo fungitur, etiamsi civitas in cives Jurisdictionem habeat plenissimam, *Mylerus ab Ehrenbach Hypparchol. c. 9. §. 3.* qui hoc adeo verum esse dicit §. 5. ut, etsi Minister Principis actus nonnullos voluntatem domicilii constituendi arguentes exercuerit, id potius tanquam simplex habitator fecisse videatur.

§. 24. Non tamen desunt qui hujusmodi officiales non modo cives vel incolas ejus Civitatis, in qua ratione officii habitant, esse, vid. *Jacob. Cancerius Varia Resol. part. 3. c. 12. pag. 186. n. 228.* sed eos etiam Statutis Civitatis subjiciendos esse volunt, vid. *Paris de Puteo Lib. de Syndicat. C. 1. quorum rationes, abunde*
ab

ab aliis sunt disputata, vid. Myler. *d. T. c. 9. §. 15.* ut actum agere viderer, si eas iterum hic examinarem, cum vel ex supra dictis pateat, Principum Ministros in civitate ubi Aula est, vel ubi officio suo funguntur, etsi ibi Aula non sit, degentes, neque Cives neque incolas, sed nudos habitatores esse, quæ distinctio colligitur ex *L. 1. §. 9. D. de his q. effud. vel dej* & hinc forensibus æquiparantur, nec Statutis Civitatis, multo minus Jurisdictioni ejus subsunt; paria enim esse videntur forum sortiri & Statutis ligari, vid. *Cœlii Bichii Decis. Rota Roma. Decis. 288. n. 40. Carleval. de Judic. Tom. 1. Tit. 1. Disp. 2. Quæst. 2. n. 128. & Quæst. 6. n. 394.* quæ assertio etiam, inverso ordine vera est, hinc in quibus causis Minister Principis forum sortitur, in iisdem causis etiam Statutis ligabitur, quas causas suis locis commodis exposituri sumus. Conf. interim Mylerus ab Ehrenbach *Hyparch. c. 9. §. 3. & seqq.*

CAP. II.

DE

CAUSIS IN QUIBUS MINISTRI PRINCIPUM FORO PRIVILEGIATO GAUDENT.

SUMMARIA.

<i>Causa quid significet in jure §. 1.</i>	<i>Ubi exactio dotis §. 7.</i>
<i>Causarum divisio in Ecclesiasticas §. 2.</i>	<i>Ubi Minister Principis ratione Feudum §. 8.</i>
<i>Et seculares, vel originarias, reales §. 3.</i>	<i>Quid juris in aliis speciebus juris in re §. 9.</i>
<i>Rei vindicatio rerum immobilium ubi instituenda §. 4.</i>	<i>Bona immobilia Ministri quomodo dividenda §. 10.</i>
<i>Ubi vindicatio rerum mobilium §. 5.</i>	<i>Quomodo mobilia, jura & actiones §. 11.</i>
<i>Ubi Ministri Principis ratione rerum mobilium §. 6.</i>	<i>Quid? si Minister Principis ob ades compar-</i>

comparatas Juri Civico se sub- Explicatur L. 1. C. ubi Sen. §. 22.
mittere necessum habuerit, quo- Auth: Qua in prov. C. ubi de Crim.
modo tunc illi succedatur? §. 12. §. 23.

13. 14. |
Causa personales ex contractu §. 15. | Causa derivata vel inter vivos per
Ubi Ministri Principum convenien- | cessionem §. 24. 25. 26. 27. 28.
di ratione contractuum §. 16. | An in causis cessis Ministri foro privo
Ubi ministri delinquentes forum | gaudeant §. 29.
sortiuntur §. 17. 18. 19. | An Minister heres non privilegiati
Milites §. 20. | gaudeat foro privileg. §. 30.
Clerici delinquentes §. 21. | Explicatur L. 19. D. de Judiciis §. 32. 33.
| Objectiones diluuntur §. 34. 35.

§. 1. **C**AUSA hic paulo aliter, quam in Metaphysicis suppo-
nenda est, in Jure nostro Civili enim causa vel (1) certam facti
qualitatem denotat, ut in L. 44. pr. ff. de Obl. & Act. item in L. 85.
pr. D. de Verb. Obl. (2) Causa etiam omne commodum vel in-
commodum ex re oriundum designat. in L. 67. D. de contr. Empt.
item in L. 56. §. 2. D. de Fidej. L. 54. D. Locati, quæ significationes a
nostro instituto videntur esse alienæ; magis conveniens est hic
causæ significatus (3) qui Titulum innuit, quo res vel mea est, vel
mihi debetur, in L. 14. §. 2. D. de Except. rei jud. L. 159. D. de R. Jur.
(4) Mihi hic causa nihil aliud significat, quam ipsum controversia-
rum genus in iudicium deductum, ut in L. 27. D. de pignor. L. 95. §.
pen. D. de Solut.

§. 2. Causas hujusmodi pro instituti ratione, in Ecclesia-
sticis, ac Seculares dispecco. Causis Ecclesiasticis jure Canoni-
co etiam matrimoniales annumerantur (an jure an injuria non
disputabo,) cap. 13. & 28. de Spons. c. 16. de Off. & potest. deleg. Item
Decimarum, & Patronatus, c. 26. de Decimis, c. 3. de Judiciis. In hu-
jus generis controversiis pariter & Ministri Principum, sive Civi-
les sint, sive Ecclesiastici, Judicem ecclesiasticum tanquam com-
petentem agnoscere tenentur, arg. c. 3. de Judiciis. Si tamen
non tam de ipso jure patronatus aut decimarum, quam de ipsa
possessione controversia oriatur, ad Magistratum secularem co-
gnitionem pertinere multi asserunt, argumento c. ult. de Judiciis;
vid. Reinck. de Regim. Secul. & Eccles. L. 3, C. 1. n. 17. & seqq. Gail.
Lib.

Lib. 1. Obs. 38. quid tamen hac in re sentiendum sit, vid. *B. Dn. Brunnem. Jus Eccles. Lib. 3. c. 1. §. 31.* Idem quod antea diximus de Jure Prut. obtinet, vid. *Proces. Jud. Tit. 10. §. 2.* nisi quod interdum juris Patronatus laici cognitio ad Judicium Anglicum pertineat, *d. Tit. §. 3.*

§. 3. Causas seculares iterum divido in originarias, & derivatas; has appello, quæ ab aliquo non-privilegiato translatae sunt in Ministrum Principis: Illas autem dico, quæ in ipsius Ministri Principis jure radicatae sunt, & sunt vel reales, vel personales. Causas reales intelligo eas, quæ ex aliqua specie juris in re oriuntur.

§. 4. Ex Dominio oritur rei vindicatio, quæ non solum in Foro Domicilii, verum etiam in loco, ubi res vindicanda, sita est, institui potest, *L. 50. §. ult. D. de Judiciis.* vid. Emanuel Gonzalez Tellez in *Comm. ad c. 3. X. de Foro comp. n. 9.* dissentiunt Trentacinq. *Lib. 2. Pract. Tit. de Action. Resol. 4. num. 10.* & alii, quos vid. ap. Gonzalez. *d. l.* De re immobili nullum est dubium, quin Minister Principis conventus in loco, ubi res sita est, ibi respondere teneatur, *Tot. tit. C. ubi in rem act. exc.* quia sic nullus habetur respectus conditionis aut qualitatis personæ, per *L. 38. in fin. D. de Judic.* Gail. *Lib. 2. Obs. 124.* Melchior Pelaez a Meres *de Majoratu Hisp. part. 1. Quest. 58. n. 8.* ubi tradit, quod ratione bonorum quis fortietur forum, & etiamsi sit Dux, Comes aut Marchio, tamen sit subditus alterius Principis, vel Domini, in cujus Dominio bona sunt sita. Conf. etiam Jacob. Cancerius *Var. Resolut. Part. 1. c. 5. n. 73.* Singulare est quod Mevius narrat: Gryphisvaldensem Academiam ex inveterata fere consuetudine, in eam possessionem devenisse, ut omnia bona Professoribus acquisita, etsi jurisdictioni civitatis antea obnoxia fuerint, ob sie schon zu Bürger-Recht gelegen gewesen / quam diu ab Academicis teneantur, immunitate, jurisdictione & Statutis Academicis contineantur, *Quest. prel. 3. num. 31.* ex quo necessario consequitur, quod rei vindicatio ratione horum bonorum, non in foro urbano, sed coram Senatu Academico institui debeat. Idem hoc in Academia Francofurtana obtinere, quoad ædes, quas Professores inhabitant, non quoad alia immobilia, quæ sibi compararunt, certum est.

§. 5. Ve-

§. 5. Verum, utrum forum hujusmodi rei sitæ in vindicatione rerum mobilium etiam observari debeat, non omnes consentiunt. Tres hac de re diversas DD. opiniones recenset Carlevallius *Tr. de Judiciis Tom. 1. Tit. 1. Disp. 2. Q. 3. n. 147.* Prima simpliciter affirmat, ita Azo *in L. ult. C. ubi in rem act.* relatus ab Accursio *in Gloss. ultim.* quem sequuntur ibi Cynus *n. 1.* Salicetus *n. 1.* Bernardus *in c. ult. in verb. contra possessorem X. de Foro Comp.* Anchoranus *Conf. 140. ver. primum dubium n. 7.* Boërius *Decis. 218. n. 3. & 5.* ubi hanc opinionem in praxi servari ait. Secunda DD. opinio simpliciter negat quæstionem supra formatam; dummodo reus conventus in loco, in quo fuit inventus cum rebus mobilibus, satisfacere, in suo foro, *arg. L. 16. D. de Off. Presid. L. 2. §. fin. D. qui Satisf. cog.* quod si satisfacere nequeat, rem sequestrandam esse, propter suspicionem de recessu, & transportatione, existimat Hugolinus, quem refert & sequitur Accursius *in d. Gloss. fin. L. ult. C. ubi in rem act.* Tertia DD. sententia prioribus duabus temperamentum affert, distinguendo: aut res mobilis, de qua controversia orta, permansura est in loco aliquo, aut non, sed est in transitu, & via ad alium locum; primo casu, primam; secundo, secundam opinionem veram esse statuit, cui sententiæ adstipulatur Carlevall. *d. l. & Placentinum antiquum Glossatorem,* item Joan. Andream *in C. ult. n. 12. X. de Foro compet. Bartol. in d. L. ult. num. 1. C. ubi in rem act. panormit. in cap. ult. n. 43. & 44. X. de Foro: compet. & alios plures in suam sententiam consentientes affert,* plures hic evolvere non vacat.

§. 6. Quæ sententia, si ad Ministros Principum applicetur, temperanda paulum est, ita ut Minister Principis quidem ratione rei mobilis sortiatur forum in loco, ubi res est, non tamen, ita, ut coram quocunque inferiore iudice conveniri possit, sed attendita qualitate personæ, Marta *de Jurisd. p. 4. Cent. 2. casu. 125.* Idque commune est omnibus decisionibus generalibus, ut personarum qualitatibus sint accommodandæ, atque adaptandæ. *argumento L. 12. §. 4. D. de Usu & habit.* Minister ergo Principis, si in loco rei sitæ ratione rei mobilis conveniendus est, non alibi, quam in summo Principis Tribunali, quod ibi locorum habetur, conveniri poterit. Res enim hujusmodi in loco sita inspicitur tanquam accessoria

cessoria ad qualitatem personæ, & ex consequenti, quemadmodum persona, ita & bona ejus sunt exempta, nec subjacent Jurisdictioni vel Statutis ejus judicii, ubi persona conveniri non poterat, Carlevall. *d. Tr. 2. 3. n. 153.*

§. 7. Jus illud, quod marito competit, in rebus ab uxore in dotem datis, ad dominium civile referimus, cujus virtute maritus in vindicatione rerum qualitate dotali affectarum etiam uxori præfertur *L. 9. C. de Rei Vind.* Mulieris autem dominium quiescit regulariter tamdiu, usque dum matrimonium duraverit, *L. 30. C. de jure Dotium.* Soluta vero matrimonio dos jure communi iterum ad mulierem ejusque heredes redit, *L. 4. C. solut. Matrim. L. 6. D. de jure Dot. L. 2. pr. D. Solut. Matr.* Sed quæritur, si Minister Principis, vel ejus heredes conveniantur ab uxore, aut alio, qui dotem dedit, ob dotem restituendam, quomodo restitutio fieri debeat? an secundum jura quæ ibi obtinent, ubi dos promissa, aut dotale instrumentum conscriptum; an vero secundum ea, quæ observantur in Foro mariti? Non dubito ultimum asserere, motus *L. 65. D. de Judiciis.* Hoc enim & in aliis non-privilegiatis verum est. Dotis namque promissio non est id genus contractus, in quo locus contractus attendendus sit; cum mulier per ipsam conditionem matrimonii, sine quo non est dos, *L. 39. D. de jure dot.* ad domicilium mariti trahatur: & dos sit sequela matrimonii, quod consumatur in domicilio mariti, conf. Carlevall. *de Judiciis Tom. 1. Tit. 1. D. 2. Q. 6. Sect. 7. num. 558.* Struv. *S. J. C. Exerc. 9. tb. 28.*

§. 8. Ex Dominio utili oritur rei vindicatio utilis, argumento *2. Feud. 8. v. Rei vero.* Quale enim dominium, talis etiam actio exinde oriunda. In vindicatione rei emphyteuticarum ratione, fori vix aliquid diversi a supra dictis §. 4. sese offert. De Ministro Principis Vasallo conveniendo hæc breviter notamus, quod si lis sit inter hujusmodi Ministrum, & convasallum, domino litem hanc dirimere incumbat, *2. F. 55. §. 2.* nisi causa ad ipsum dominum spectare videatur *2. F. 46.* Finkelth. *Disp. Feud. 11. Contr. 8.* Hoc enim casu, ut &, si controversia oriatur immediate inter ministrum, & dominum, a quo Minister Principis feudum tenet, tunc ea paribus curiæ committenda, *2. F. 22. v. si vero vasallus 2. F. 16. 2. F. 20. pr. 2. F. 39. §. si inter. 2. F. 55. §. 2. si vero.* Hinc & Clerici, quorum

rum tamen in declinando iudice seculari, jure Canon. favor est amplissimus, Judicis Feudalis cognitioni subjacent, c. 6. & 7. X. de For. compet. Fachin. Lib. 2. Contr. cap. 10. Duarenus de Feudis cap. 20. & 21. dissentientem vid. Emanuel. Gonzalez in Com. ad cap. 5. X. de Judiciis n. 3. Quoties vero oritur quaestio praedjudicialis, & Jus Domini dubium redditur, coram iudice ordinario, aut arbitro agitanda est, argumento 2. F. 15. 2. F. 4. & 2. F. 46. vers. si autem inter pares. Finkelth. Disp. Feud. 9. Contr. 34. & Disp. 11. con. 9. plures casus exprimit Hunnius in Tr. de Feud. c. 15. pag. 409.

§. 9. Ex servitute oritur actio confessoria & negatoria, ex pignore, actio hypothecaria, ex possessione interdicta. De singulis, ut figillatim disquiramus, operae pretium esse non existimo, cum in illis vix aliquid à Juris communis dispositione diversum, intuitu Fori Ministrorum Principis, occurrat. Generaliter enim verum est, quod in hujusmodi judiciis realibus quilibet ibi conveniri possit, ubi res sita est, tot. Tit. C. ubi in rem actio, actio namque realis non tam personam, quam ipsam rem afficere videtur, argumento L. fin. C. ubi in rem act. quia per illum iudicem, ubi res sita est, actori quam maxime consuli potest, conf. Gonzalez in Comment. ad c. 3. X. de For. Comp. n. 8. Nec hic ullus personarum favor attenditur; hinc Clerici licet alias juxta Canones à Seculari jurisdictione exempti sint, attamen ratione bonorum secularium coram iudice seculari conveniri possunt. Gail. Lib. 1. Obs. 37. n. 4. item Obs. 38. Mynsing Cent. 1. Obs. 22. n. 2. & seqq. quam sententiam tamen, nimio amore & veneratione erga clericos ductus, juri non consonam esse, dicit Carlevall. de Jud. Tom. 1. Tit. 1. Disp. 2. Quest. 3. n. 154. Atque hoc forum rei sitae etiam in actionibus mixtis, quae praeter rei persecutionem etiam continent personales praestationes, locum sibi vindicat arg. L. un. C. ubi de hered. juxta distinctionem tamen bonorum in §. 6. allatam; imo & in actionibus in rem scriptis L. un. C. ubi de possession. Carlevall. d. L. num. 151. Conf. Struv. S. 7. C. Ex. 9. th. 51.

§. 10. Diximus forum rei sitae etiam in actionibus mixtis E. G. hereditate observari. Petitio enim hereditatis vel in loco domicilii, vel in loco rei sitae institui potest L. un. C. ubi de hered. Non tamen satis expeditum est, an in divisione hereditatis de-

functi Ministri Principis, observari debeant jura, & statuta loci, ubi res hereditariae sitae sunt, an vero jura ejus fori privilegiati. Immobilia bona quod spectat, DD. in hanc sententiam unanimiter fere conspirant, ea dividenda esse juxta tenorem Statutorum ejus loci, ubi immobilia sita, Jacob Cancerius *Var. Resol. Par. 1. cap. 5. num. 71.* ex quo necessario sequitur, quod si Minister Principis in diversis locis bona immobilia habeat, in quibus diversae testandi consuetudines sint, accidere possit, ut pro parte testatus, & pro parte intestatus, decedere queat, uti tradit Gail. *in Tr. de Arrestis Imper. c. 6. n. 19.* Hinc singulare est, quod Mevius narrat: Rostochii inolevisse, ut sine discrimine bonorum, iis, qui sunt sub Sceptris Academicis, non statutorio jure succedatur, sed jure communi, quo alias utuntur; etsi alias, quoad bona, quae sub civilia jurisdictione antea fuerunt, civilibus oneribus subjiciantur, *in Quest. Prelim. ad Jus Lub. Quest. 3. n. 31.* Caeterum Mobilia ad certum locum adscripta E. G. pecora ad Praedium aliquod destinata, ut accessorium suum principale sequuntur, & jure immobilium censentur Dn. Praeses *in Tr. de Succes. Dissert. 1. c. 4. §. 5.*

§. 11. Quantum alia bona mobilia attinet, acriter inter DD. disputatur, an in eorum divisione Jura & consuetudines loci obtineant, ubi ea sunt, an vero jura ista, quae vigent in Foro privilegiato Ministrorum Principis? Ultimam sententiam amplectitur Carpz. eamque late deducit, & praedictis confirmat *Part. 3. cap. 12. Defin. 13.* nec sine ratione: Bona mobilia enim in certo loco sita non dicuntur, sed personam potius sequuntur, & sic Statutis ac Juribus non subjacent, quibus Dominus ipse non stringebatur, Mylerus ab Ehrenbach *in Hyparch. cap. 9. §. 26.* Quam sententiam explicat Dn. Praeses *in Tr. de Succ. ab Intest. Dissert. 1. c. 4. §. 4.* eamque speciali Facultatis Francofurt. Responso comprobatur. Tertiam & separatam bonorum speciem nomina, jura atque actiones constituunt, quae proprie loquendo neque ad mobilia, neque ad immobilia pertinent, *L. 7. §. 4. D. de pecul. L. 15. §. 2 D. de Re Jud. L. 1. C. de Praetor. Pign.* In horum divisione pariter jura ista observanda sunt, quae obtinent in foro, ubi alias Minister Principis ante obitum conveniri poterat; ossibus enim personae quasi inhaerent, nec ullius loci cancellis coarctantur, *argumento L. 86.*

L. 86. pr. D. de Legat. 2. L. 78. §. 1. D. de Legat. 3. conf. Mevius ad Jus Lub. Quæst. Prelim. 6. Quod si tamen pro nomine hypotheca constituta sit, hæc actio hypothecaria pariter ad immobilia referri posset, sicuti actiones ad res immobiles competentes eo referuntur, Gail. 2. Obs. 11. n. 10. Dn. Præses d. Tr. §. 5. qui enim actionem habet ad rem recipendam, ipsam rem habere videtur, L. 15. D. de R. J. non obstat L. 204. D. eod.

§. 12. Hæc majoris dubii videtur controversia, si Minister Principis in loco quodam immobilia bona possidere nequeat, nisi simul juramento Civico se Magistratui Oppidano obstrictum reddat, quale Statutum Dresdæ obtinere constat, hujus tenoris: Die Churf. Ministri und Hoff-Bediente sollen in bestimter Zeit ihre Häuser durch Lehenträger besizen / Lehn und Würden annehmen / und 5. fl. zahlen c. 12. §. 5. Disquiritur itaque, an ei defuncto etiam in mobilibus, secundum Statuta Civitatis; an vero secundum jura fori privilegiati succedi debeat? Priorem sententiam sequentes videntur evincere rationes (1) quod Minister Principis hac ratione videatur Domicilium in Civitate constituisse, argumento L. 7. C. de incolis, ex quo necessario consequitur, bona ejus, post obitum, dividenda esse juxta Statuta Domicilii, Johan. à Sande Decis. Fris. Lib. 4. Tit. 8. Defin. 7. Carpz. p. 3. c. 12. Defin. 13. (2) A muneribus & oneribus, eorumque impositione legitimam procedere volunt consequentiam, argumento L. 3. §. 4. C. de Incol. ita, ut qui oneribus, & muneribus Civicis adstrictus fuerit, ejusdem defuncti bona quoque juxta Leges Civitatis dividenda sint. Francisc. Aretin. in Rubr. n. 12. ff. Solut. Matr. Ministri autem Principis Domicilium in Civitate constituentes, ejusdem Civitatis muneribus sese quoque obligant, argumento L. 5. C. de Incol. vid. Mevius ad Jus Lub. Quæst. Prel. 3. n. 43. In specie autem Statutis Dresdensibus cavetur c. 12. §. 7. Im übrigen wird es mit der von Adel / und ihres Gleichen / im Geschos-Recht gelegenen Häusern / nach Weyland Herzog Georg / auch anderer Churf. von Sachsen gegebener Ordnung / und Befelich gehalten; nemlich daß sie die Bürger mit Reichung der Geschos-Steuer / Bestellung der Manschafft zum Aufwarten / und Wachen / auch Hülffe in Feuers-Gefahr / und was sonst wegen gemeiner Stadt-Nothdurfft vorkommen möge / wie

wie von Bürger Häusern geschieht / mit tragen / leisten / und verrichten. (3) Expressa Statutorum Dresdensium verba quaestionem decidere videntur. Wann sich ein Todesfall in diesem Reichsbild begiebet / so sollen nicht allein die Bürger und Schutz Verwandten / sondern auch diejenigen / welche mit immobilien so unter des Raths Jurisdiction gelegen allhier angesessen seyn / imgleichen die Kirchen und Schul Bedienten ic. sich nach diesen Statuten zu richten haben / c. 6.

§. 13. Nihilominus alteram quaestionis partem veriorum existimo, & adhuc contendo, defuncti Ministri Principis bona mobilia dividenda esse, secundum dispositionem juris, quod in Foro privilegiato obtinet, etiamsi Jus Civitatis redemerit, & sese Civitati, ratione domus, obstrictum reddiderit. Hac ratione enim solummodo in causis istis, quæ ad negotiationem civicam spectant, *L. fin. C. de Jurisd. omn. Jud.* & ratione rerum immobilium, Statutis Civitatis sese submisisse censetur, qua de re *infr. c. 3.* Vasallagium enim subditum non facit, nec subjectionem personæ operatur, *Carpz. P. 3. Const. 19. Def. 19. n. 12.* Ratione Personæ autem, adhuc retinuit forum privilegiatum. Ergo ejus bona mobilia, quæ ex qualitate personæ æstimantur, *argumento c. 3. X. de Donat. inter Vir & Uxor. Gail. Lib. 2. Obs. 124. n. 18. Wesenb. Conf. 49. n. 21.* Statutis Civicis non subjacent, *Matth. Coler. de Proces. Execut. p. 1. c. 3. n. 230. Wesenb. Conf. 1. n. 5. Mevius de Jur. Lub. p. 2. Tit. 2. Art. 10. n. 22.* Et ita Lipsiæ judicatum esse, refert *Richter. de Succes. ab Intest. in proem. n. 33.*

§. 14. Neque Rationes pro contraria sententia, supra §. 12. adductæ, alicujus momenti sunt. Ad (1) Resp. solam domus acquisitionem non inferre Domicilii constitutionem, *arg. L. 4. C. de incolis, vid. quæ supra c. 1. §. 22. & 23. disserui.* Ad (2) Resp. Argumentationem ab oneribus ad successionem, si valeat, valere, saltem in oneribus personalibus, ita, ut illius Successio ex Statutis Civitatis æstimanda sit, qui onera personalia sustinere debebat; non autem realibus, quorum ratione etiam Summi Principes, aliis dignitate minoribus obligati sunt, si scil. in horum Territorio bona possideant, *vid. Melchior Pelaez à Meres de Majorat. Hispan. part. 1. Quest. 58. n. 76.* Et de hujusmodi oneribus realibus Statuta quoque

quoque Dresdensia concepta sunt. Ad (3) Resp. Verba Statu-
torum recensita, ratione Ministrorum Principis, nullius sunt ef-
ficaciae, quia hi in iisdem nominatim excipiuntur: Jedoch soll
denen offtgedachten Churfürstl. Herrn Ministris und andern c. 1. §. 2.
erwehnten Hoff- Bedienten --- es an ihren übrigen Privilegien
allerdings unnachtheilig seyn / auch dasjenige / was von Bürgern /
und Schuß- Verwandten in specie in diesen Statutis verordnet /
wieder dieselben keines weges angezogen und gedeutet werden. Im-
mota ergo stat decisio, jus Civicum à Ministro Principis impe-
tratum intuitu certarum ædium, personam ipsius ad Statutorum
Civitatis observantiam non adstringere, ideoque nec ipsi mortuo
jure illius Civitatis, excepto tantum illo prædio, quod sub Senatus
Jurisdictione possidet, succedi, sed ad Juris communis illius pro-
vinciæ decisionem recurrendum esse.

§. 15. Causæ personales vel oriuntur ex contractu vel ex
delicto; non obstante *L. 1. D. de Obl. & action.* Ratione contra-
ctus alias jure Civili quilibet forum ibi sortitur, ubi contractus de
negotio aliquo civili inter contrahentes perfecte celebratus est,
nisi aliud actum *L. un. C. ubi conv. qui cert. loc. c. 17. X. de foro. comp.*
Nec interesse volunt an ibi deprehendatur an non, ob generalem
textum *L. 19. §. 1. D. de Judiciis.* Jure Canonico autem contrahens
ad locum contractus revocari non potest, sed tunc demum fo-
rum sortitur, si ibi deprehendatur *c. 1. vers. contrahentes de For. com-
pet. in 6to.* quod & usu Fori comprobatum dicit Dn. Præses in *Uf-
ff. Lib. 5. Tit. 1. §. 21.* Idem Jure Prut. obtinet, nisi quod notabi-
liter limitetur, ita ut Nobiles aut alii ruri degentes, si in Civitate
aliqua contraxerint, ibi non forum sortiantur; & viceversa si cives
extra civitatem contractum celebraverint, pariter ibi respondere
non necessum habeant *vid. Jur. Prut. Proc. Jud. Tit. 10. §. 8.*

§. 16. Minister autem Principis certo aliquo loco contra-
hens, ita in isto loco forum sortitur, non ut coram Judice etiam
inferiore indifferenter conveniri possit, sed adhuc servata qualita-
te personarum & judicum, ut observat Fulgosius in *L. heres absens*
§. 1. n. 6. ff. de Jud. Carlev. *Tr. de Jud. Tom. 1. Tit. 1. Disp. 2. Q. 3. n.*
153. Ut enim Principem ipsum fastigium foro eximit, adeo, ut
D nec

nec Statutis, quæ ipse aut condidit, aut à civitate condita, sua auctoritate confirmavit, obligetur, etsi in urbe contrahat, vel quidquam aliud disponat, ita & tota ejus Domus exempta est *L. 3. C. de Præp. S. Cubic. L. 4. C. de Silent. L. 12. C. de Prox. Sac. Scrin. L. 4. pr. C. de Agent. in reb. L. 2. C. de Decanis.* Et exemptio Domino competens, ad Familiam & Ministros ejus quoque extenditur sine quibus esse non potest, uti argumentatur Mevius *Quest. Prælim. 3. n. 34.* Mylerus ab Ehrenb. *in Hyparch. c. 9. §. 2.* Quoties vero Minister Principis cum alio contrahens, certum locum solutioni destinavit Privilegio fori renunciasse censetur *argumento L. 21. D. de Obl. & act. Carlevall. Tom. 1. Tit. 1. Diss. 2. Q. 8. Sect. 3. n. 1115.* atque in loco destinatae solutionis directa actione conveniri poterit; arbitraria autem in foro suo usitato. Gonzalez *in Comm. ad c. 17. X. de For. comp. n. 4. & seqq.*

§. 17. Crimina alias ibi vindicari solent, quo in loco commissi *L. 1. C. ubi de Crim. ag.* Statuendum enim est exemplum, ubi peccatum perpetratum. Ardua tamen quaestio, quæ multorum torlit ingenia, & in utramque partem disputatur: utrum cognitio delictorum à Ministris Principum commissorum, spectet ad civitatem Principi subjectam, ubi delictum commissum est, & quæ merum Imperium seu Jurisdictionem criminalem sibi quaesivit; an vero ipsi Principi reservanda? Mevius eam civitati asserit *Quest. Prælim. 3.* & late contra Heigium alteram quaestionis partem affirmantem disputat, existimans hanc sententiam Juri magis conformem esse, ob rationem, quod Jurisdictio plerumque præscriptione & contractu oneroso civitati quaesita sit, & hinc private quoad Superiorem Civitati competat. Ipse tamen huic argumento non multum confidens, suadet, ut relicto stricto jure, si modo jus Civitatis alias salvum esse possit, in hoc casu ex honore potius, quam cum rigore procedatur erga Superiores, *d. Q. 3. n. 56.*

§. 18. Contrarium itaque verius mihi videtur, sc. quod etiam in criminibus Ministri Principis in Foro Principali conveniendi, non autem cujuslibet judicis inquisitioni subjecti sint. Illud enim asseritur *in L. 3. C. ubi Senat. & clar. L. 12. C. de Proxim. Sacr.*

Sacr. Scrin. L. 4. C. de Silent. Huic accedit, quod in concessione Jurisdictionis aut meri Imperii semper auctoritas concedentis censeatur reservata & illaesa *argum. c. 14. de praebedis in 6to*, exemptio autem Domino competens, etiam Ministris tribuitur; quo argumento Mevius supra usus est *n. 34.* & hinc *n. 56.* contra propriam hactenus propugnata sententiam, ei non parum roboris tribuit. Neque Suppositum Mevii firmo stat talo, dum dicit: civitates municipales Jurisdictionem criminalem, sibi private intuitu Superioris acquisivisse, eo quod vel per praescriptionem vel per titulum onerosum eandem a Principe impetraverint. Concessa enim jurisdictione, semper reservata intelligitur Jurisdictio major & potestas plenior, uti colligitur *ex Const. de Pace Constantia vers. hoc quod nos.* Princeps enim nunquam fontes suos ita foras derivasse videtur, ut nihil penes se remaneret. Hinc dicunt, quod Princeps concedens jurisdictionem inferiori, veluti civitati municipali, eandem non private sed cumulative concessisse censeatur, idque ob rationem, quod in sermone generali, non comprehendatur persona loquentis, *argum. L. inquisitio C. de Solut. L. 53. §. ult. D. de Act. Empt. L. 30. in fin. D. Locati. vid. Bartol. in L. 1. C. de Off. Praef. Urb. Carlevall. de Jud. Tom. 1. Tit. 1. D. 2. Q. 7. Sect. 1. n. 794. Cancerius Var. Resol. Par. 3. cap. 13. n. 155. seqq. §. num. 280. & seqq.* Non tamen satis convenienter; Rectius ergo statuitur, a Principe hujusmodi Jurisdictionem subordinate concessam esse inferioribus, ut per viam appellationis iterum ad ipsum devolvatur, *Dn. Praef. in Ufu Modern. D. Lib. 2. Tit. 1. §. 26.*

§. 19. Supponendus tamen hic casus est: si Municipium, in quo Minister Principis delictum commisit, in ejusdem Principis sit Territorio. Nam si in alterius Territorio crimen perpetratum sit, hujusmodi Privilegium delinquenti nullum praestabit patrocinium, neque LL. Romanis praescriptionem fori concedentibus adjuvabitur, haec enim conceptae sunt, cum Imperatores longe lateque dominarentur, & totius fere mundi domini appellarentur *L. 9. D. de L. Rhod. de fact.* Magistratus vero jurisdictionem, vel olim populi Rom. vel postea Principum & Imperatorum nomine exercebant, hinc non mirum est, quod tum

D 2

tempo-

temporis remissiones delinquentium ab uno ad alterum judicem, pro arbitrio Imperantium fieri deberent. At vero cum hæc ratio hodie cesset, ob Eminentiam Principum & Statuum Imperii, quæ hanc necessariam remissionem delinquentium à nemine sibi imponi patitur, generali consuetudine receptum est, ut remissiones delinquentium non amplius sint necessitatis, sed urbanitatis vid. Modest. Pistor. *Vol. I. Conf. 29. n. 6. & Richter. p. 1. D. 15. n. 3.* In Imperio Rom. Germ. tempore Comitiorum Jurisdictio tam in causis Civilibus quam criminalibus divisa est: Aulæ Cæsareæ Mareschallus in Aulicos & Ministros Imperatoris; Imperii Mareschallus in Status Imperii, eorumque Legatos & famulos, item in advenas; Senatus Civitatis in Cives exercet, vid. latius hac de re August. Adolph. ab Haugwitz *Tr. de Regni & Aulæ Mareschallis c. 7. Sect. 1. n. 84.*

§. 20. Quantum ad delicta militum attinet Jure Rom. distinguitur, & quidem in *L. 2. D. de re milit.* inter delictum militare, & commune; illud solius Magistri militis cognitioni subjacet *L. 1. C. de exhib. & transmitt. L. 6. C. de Jurid. om. Jud. L. 2. D. de re milit.* Crimen commune aut est leve & pariter à Judice militari coercendum *L. 8. D. de Cust. & exhib. reis*, aut atrox; Hujus coercitio ad Judicem ordinarium spectat *L. fin. D. de Accusat.* Verum hodie hujusmodi ambages antiquatæ sunt, & indistincte usu obtinet, ut milites criminosi ad Magistratum militarem remitti debeant, vid. Dn. Brunnem. in *Com. ad L. 6. C. de Jurisd. omn. Jud.* vid. Carlevall. *Tom. 1. Tit. 1. D. 2. Q. 6. Sect. 4. n. 463.* quod non extendendum ultra Territorium Principis, in cujus militia quis degit; ille enim remissionem facile injungere poterit. Dn. Præf. in *Uf. Mod. D. Lib. 5. Tit. 1. §. 30.*

§. 21. Clerici pariter Jure Canonico Privilegio exemptionis fori gaudent, ut non nisi coram judice ecclesiastico etiam in criminalibus conveniri possint, qua de re apud Canonistas nullum dubium est, & uno fere ore consentiunt, vid. ex pluribus Carlevall. *de Jud. Tom. 1. Tit. 1. D. 2. Q. 6. Sect. 1. n. 392.* Maranta in *Praxi 4. part. Distinct. 11. num. 2. & seqq.* Marta *de Jurisd. 1. Part. cap. 8. n. 9. &*

9. & cap. 9. & seqq. Et 2. part. c. 5. & 6. In Terris Evangelicorum delicta clericorum pariter ad Consistoriorum cognitionem pertinent, quatenus hæc delicta, clericorum degradationem, depositionem vel suspensionem promeritam præ se ferunt vid. Dn. Brunnem. *Jus Eccles. Lib. 2. c. 18. §. 4.* Et quamvis Jus Patronatus communiter in sola facultate præsentandi Ministrum Ecclesiæ ad beneficium vacans, consistat, nullamque Jurisdictionem in Ministris vocatos de Jure communi involvat; quibusdam tamen locis ei quoque annexa est jurisdictio, imo & jus removendi pastores; Quam consuetudinem in Marchia & Pomerania vigere tradit Dn. Præses in *Not. ad Jus Eccles. Brunnem. Lib. 2. c. 8. §. 30.*

§. 22. Non leve argumentum, hæctenus dictis contradicendi, peti potest ex *L. 1. C. ubi Sen. & Cl. ubi illis delinquentibus.* qui clarissima dignitate præditi sunt, omnis fori præscriptio denegatur, ob rationem, quod reatus omnem hujusmodi exuat honorem. Cum qua quadantenus conspirare videtur *L. 16. C. de Dignit.* Verum ex oppositione, quæ in *L. 1. C. ubi Sen.* instituitur, inter Illustres & Clarissimos, patet, hujus dispositionem non esse universalem, sed restringendam vel ad certa delictorum genera in *d. L.* enumerata; vel ad eos qui non Illustri, sed saltem clarissima dignitate præditi. Tempore quidem Ulpiani, qui sub Antonino Caracalla floruit, inter Illustres & Clarissimos vix ulla adhuc dum fuit differentia, & Senatores aliosque majori dignitate præditos promiscue & Clarissimos & Illustres appellatos fuisse, patet ex *L. ult. D. de Senat.* (nisi hunc locum à Triboniano interpolatum, velis cum Cujac. in *Rub. C. de Dign. Lib. 12.*) *L. 8. D. de Senat. L. 5. D. de curat. Furios. L. 100. D. de V. S. L. 2. C. de Domest. & Protect.* Item *L. 52. §. 2. D. de Judiciis L. 35. pr. D. de Leg. 3. L. 16. §. 1. D. de his quæ ut indig. L. 12. D. de publ. Jud.* Postea tamen differentia hæc invaluit vid. Duaren. *Lib. 2. Diss. anniver. cap. 1. Wesenb. in Parat. ad Lib. 1. Tit. 9. D.* Et Zeno Imperator Illustribus indulgit Privilegium, ut in causis civilibus, quam criminalibus coram solo Principe conveniri deberent *L. 3. C. ubi Senat. & clar.* Tribonianus itaque *d. L. 1.* desumptam ex *Cod. Theod. Lib. 9. Tit. 1. L. 5.* immutavit, eique de clarissimis solum loquenti, oppositionem

Illustrium & clarissimorum inseruit, ut effugeret contradic-
tionem L. 3. eod. & sic dispositionem L. 1. voluit applicandum esse
illis qui minori dignitate decorati erant, conf. L. 16. C. de Dign. vid.
Jacob. Gothof. ad. L. 5. Cod. Theod. Tit. 1. Lib. 9. Exiguam ta-
men Triboniano gratiam habeo; hac enim immutatione L. 1.
qua difficultati mederi voluit, majorem Lectori atque juris Stu-
dioſo ingenii carnificinam præparavit.

§. 23. Major dubitandi ratio fluere videtur ex *auth. Qua
in provincia C. ubi de crim.* in qua satis aperte statuitur, quod in
qua provincia quis deliquerit, aut vel de possessione aut proprie-
tate fuerit reus, illicitam juri subjectus esse debeat, omni privi-
legio cessante. Sed DD. hanc *auth.* interpretantur de illis qui-
bus Privilegium speciale est indultum, non autem, quibus jam
tum in corpore juris de Privilegio immunitatis à Jurisdictione
vulgari nominatim prospectum est, ut sunt Studiosi, clerici &
Ministri Principis; hos in Foro privilegiato ratione delicti con-
veniendos; illos autem judici loci, in quo delictum commissum,
subjiciendos esse volunt. Ita sentit Accursius alique interpretes
vid. Anton. Perez in C. Lib. 3. Tit. 15. n. 2. Hinc DD. generaliter
inferunt: clausulam generalem, non obstante quocunque Privilegio,
non obesse aut derogare Privilegiis in Corpore Juris clausis, ne-
que ad ea referri, sed duntaxat ad privilegia propria & privata,
extra corpus juris vagantia, uti loquuntur antiqui Glossatores
Gloss. in *auth. Qua in prov. C. ubi de crim.* & ibi Bartol. n. 2. Bald
n. 7. Salicet. n. 4. Menoch. de *presumpt.* Lib. 6. *presumpt.* 40. n. 13
& alii plures, quos hic studio omitto. vid. interim Carlevall. de
Judiciis Tom. 1. Tit. 1. D. 2. Q. 5. n. 300.

§. 24. Causæ derivatæ in Ministrum Principis vel inter-
vivos mediante cessione, vel ultima voluntate sunt translata.
Vexatam satis & in utramque partem disputatam quæstionem ag-
gredior, utrum Ministri Principum, si conveniantur, ex jure sibi
cesso, privilegio fori uti possint? Hujus quæstionis decisioni
quæstionem præjudicalem præmittendam censeo, an cessio fa-
cta in Ministrum Principis subsistat? Difficultas inde oritur,
quod, quoties actio vel jus potentiori cessum, toties locum ha-
beat

beat vel *L. 2. C. Ne liceat poten.* vel Edictum Prætoris *Lib. 4. D. Tit. de alien. Jud. mut.* Potentior autem in *Tit. C. ne liceat pot.* ille dicitur qui ratione officii metum & terrorem adversario inferre potest, uti ex Bald. Salicet. Angel. Abb. & aliis probat Ozascus *Decis. 144. n. 12.* ubi etiam addit, quod debeat habere potestatem ac Jurisdictionem in adversarium; sed cum hoc ex variis circumstantiis pendeat, judicis arbitrio relinquendum, quis potentior dicatur, censet Alphons. Olea *de Cess. Jur. & Act. Tit. 2. Quæst. 4. n. 23.* Menoch. *de Præsumpt. Lib. 3. Præf. 129. n. 37.*

§. 25. Potentior quoad Edictum Prætoris est, qui ratione divitiarum, fori, vel alterius Privilegii alicui molestiam creare potest. vid. Marta *de Jurisd. 4. Pr. cent. 1. casu 91. n. 4.* Cancerius *Lib. 2. Var. Res. c. 12. n. 65.* Quotiescunq; enim negotium super quo lis exspectatur, transfertur in aliquem, qui cedente ditior, aut diversi fori est, toties consulitur adversario contra quem cessum, edicto Prætoris de Alien. Jud. mut. caus. Nam si inchoato semel iudicio, cessa sit actio, cessat hoc Edictum, & locum habet litigiosi pœna, de qua in *L. fin. C. de Litigiosis.* Dicendum itaque videtur, quoties in Ministros Principis, qui Jurisdictione pollent, cessum fit aliquod jus, toties locum habere dispositionem *L. 2. C. ne liceat pot.* quoties vero in alios, qui aliis functionibus inserviunt, Edicto Prætoris locum esse; quoniam ratione fori videntur esse potentiores.

§. 26. Ut huic objectioni occurratur, notandum est, quod tum saltem locus sit pœnæ *L. 2. C. ne liceat pot.* si malitiose, & causa opprimendi adversarium, cessio in potentiolem ratione officii facta sit, Alex. Trentacinq. *Lib. 2. Var. Tit. de postulando. resol. 2. n. 15.* Alphons. *de Olea, de Cess. Jur. & Act. Tit. 2. Q. 4. n. 24.* Dissent. Capyc. Galeota *Lib. 2. Contr. 2. n. 14.* Et hinc cessat *d. L.* quoties vel ex sola præsumptione de bona fide constat, Menoch. *Lib. 3. Præsumpt. 129. n. 39.* Cancerius *Part. 2. cap. 12. n. 7. & 9.* Fraudis vero & vexationis suspicio locum non habet, si cessio fiat in potentiolem sanguine conjunctum, nisi clarissimè constaret, cessationem animo vexandi factam, Alphons. *de Olea d. L. n. 25. (2)* similiter cessio sustinetur si ex causa necessaria fiat Menoch. *d. Præf. n. 41.*

n. 41. (3) cessat etiam pœna, quando Magistratus in jus alterius ex Testamento succederet *Marta de Jurisdic. 4. Par. Cent. 1. casu 91. n. 11. arg. L. 8. §. 3. D. de alien. jud. mut.*

§. 27. Pariter ut Edicto Prætoris *de Alien. Judic. &c.* locus fit, tria requiruntur (1) dolus (2) alienatio mutandi iudicii causa, & (3) interesse adversarii, vid. *Wesenb. & Cujac. in Parat. ad b. Tit.* Dolus ergo præcipua hujus Edicti causa est, quo cessante, cessat quoque Edicti prohibitio. *Duaren. in Comment. ad b. Tit.* Sufficit tamen dolus cedentis, & non præcise necessarium est, ut cessionarius doli sit particeps *L. 9. in fin. D. Com. div. L. 1. & 2. D. de Alien. jud. mut. L. un. C. eod.*

§. 28. Ex dictis facile patet, quomodo quæstio sit decidenda. Sc: si cessio bona fide in Ministrum Principis qualemcunque etiam, facta sit, & non ob istam rationem, ut adversario potentior reus objiciatur, eam validam esse, neque locum habere, *L. 2. C. ne liceat pot. neque Edictum Præt. de Alien. Jud. mut. caus.* Est enim cessio jurium, ex genere permissorum; ergo semper licita, nisi in casibus exceptis, cum nihil naturali æquitati magis consonum, quam si voluntas dominorum rem suam in alium transferre volentium, rata habeatur, *Olea d. 1. Tit. 3. Q. 1. n. 2.*

§. 29. Jam ad quæstionem supra §. 24. formatam responderi posse existimo; utrum Ministri Principis, in juribus sibi cedis conveniendi, gaudeant foro Privilegiato? Affirmativam sustineo; dummodo cessio vera sit, non fraudulenta; Et sic nihil interest, an cessio facta sit ex causa lucrativa, an vero ex causa onerosa, vid. *Olea. de Cef. Act. Tit. 2. Q. 4. n. 57. Dissent. Anton. Faber. in C. Lib. 3. Tit. 12. Def. 22.* Cum enim per cessionem bona fide factam jura cedentis transferantur in cessionarium, fiantque ejus proprium patrimonium, hinc etiam ex persona domini metienda, & sic cessionarius quoad jura cessa, iisdem privilegiis gaudebit, quibus quoad reliquas res proprias sui patrimonii. *Thom. Carlewall. Tom. 1. de Judiciis Tit. 1. Diss. 2. n. 661.*

§. 30. Non tamen in omnibus, ea quæ §. præced. dicta sunt, locum habent. Sunt enim aliqui casus, ubi Ministri Principis

cipis

cipis ex jure cesso alibi & non in foro Privilegiato conveniendi, in quorum enumeratione DD. dissentiunt, est enim ardua satis, & variis difficultatum involucris intricata materia. Ego ut huic difficultati consulam, distinguendum esse censeo, inter qualitatem jurium realem, & personalem; illam dico, quæ ex ipsa re; hanc autem, quæ ex persona metienda: Hanc, in cessione Foro Privilegiato locum facere arbitror; illam non. Sic V. G. si alicui Ministro Principis res quædam immobilis cessa sit, & intuitu ejus conveniatur, in loco ubi res sita est respondere tenetur, vid. *sup.* §. 4. Hujusmodi enim res ad quemcunque possessorem transit, cum hac qualitate, ut subjiciatur Jurisdictioni judicis ejus loci, ubi res sita est. Sic etiam si in instrumento quodam aliquis sese, iudicio alicui submiserit, & obligationem, cujus respectu submissio facta, Ministro Principis cesserit, hic pariter coram iudice, cui submissio facta, conveniri poterit. Quia submissio illa non personam cedentis, sed ipsam obligationem & actionem respicit, Alphons. de Olea *Tit. 6. Quest. 3. n. 13.* plura quæ huc etiam spectant vid. *infr.*

§. 31. Si ultima voluntate cujusdam defuncti non privilegiati, transferatur in Ministrum Principis causa, orta ex contractibus vel juribus à defuncto originem habentibus, & inde lis exoriatur, quaritur, ubi Minister Principis conveniendus? Ego Ministrum Principis pariter in foro Privilegiato conveniendum, censeo. Post aditam enim hereditatem bona atque jura defuncti confunduntur cum heredis bonis, ita, ut proprium ejus patrimonium videantur *arg. §. 1. Inst. quibus ex caus. manum? §. 1. Inst. de hered. qual. & diff. L. 10. §. 2. D. de Vulg. & Pup. Subst.* & sic eodem, cum reliquis Ministri bonis jure censentur, adeoque Foro Privilegiato subjacent. Quando namque res non privilegiata pervenit ad privilegiatum, amittit naturam antiquam, & efficitur privilegiata *c. un. §. fin. de Jure patron. in 6to. Marta de Jurisd. Part. 4. cent. 1. casu 11. n. 28. & 29. & Cent. 2. casu 125. n. 18. seqq.* & viceversa, res privilegiata amittit privilegium, cum pervenit ad non-privilegiatum *L. 89. D. de acquir. hered. Menoch. Lib. 4. Cons. 322. n. 17. & seqq.*

E

§. 32.

§. 32. Neque huic sententiæ repugnat *L. 19. pr. D. de Judicis*, ubi contrarium dispositum videtur, ut sc. heres ibi conveniendus sit, ubi defunctus conveniri debebat, nulloq; suo privilegio proprio excusetur, cujus *L.* auctoritatem multi DD. secuti contrarium nostræ sententiæ statuerunt, quos recenset Carlevall. *de Judiciis Tom. 1. Tit. 1. D. 2. Q. 5. n. 303.* Communiter DD. *L. 19.* intelligunt de Privilegio proprio & speciali, indulto alicui à Principe; hoc enim privilegio non obstante, heres conveniri poterit, in foro defuncti. Secus erit si privilegium sit commune, de quo in corpore juris alicui jam prospectum est, hoc namque privilegium obest, quo minus heres in foro defuncti conveniri possit. Hujusmodi privilegia sunt Clericorum, militum, & Ministrorum Principis, aliorumque, Carlevallius *d. L. n. 299.*

§. 33. Aliter *b. L. 19. ff. de Jud.* resolvit Marta *de Jurisd. Part. 4. cent. 1. casu 33. n. 10.* Sc. legem istam intelligendam esse, de foro defuncti respectu loci, non respectu personæ Judicis, ut sensus sit; heredem conveniendum esse, in eodem loco, in quo defunctus conveniri debuit; sed non coram eodem iudice, coram quo defunctus forum competens fortiebatur. Adverbium enim *Ubi*, magis locum quam iudicis Tribunal significare creditur. Hæc solutio quamvis *d. L.* menti non satis congrua sit, quoniam ex mente Ulpiani, qui auctor hujus *L.* est, heres privilegiatus ejusdem Judicis Jurisdictioni subjiciendus est, cui suberat defunctus, heres enim repræsentat defunctum *L. 22. D. quib. ut indig.* huc accedit, quod adverbium *Ubi* non solum identitatem loci, sed & iudicis denotet *L. 30. D. de judic.* Illud tamen ex dicta sententia sequitur, quod Minister Principis ratione hereditatis, non quidem in Foro defuncti non-privilegiati respondere teneatur; conveniri tamen possit in isto loco ubi hereditatem acquisivit, & quidem in Tribunali supremo Principis, ubi alias Ministri ejusdem dignitatis gradum habentes forum habent, ne alias creditorum juri quaesito ad exigenda sua debita in foro defuncti, præjudicium inferatur, si heredem hujusmodi privilegiatum, in alia loca nimis forsitan remota persequi teneantur *L. 2. §. 16. D. ne quid in loco publ. c. 3. de Decimis c. 8. de Rescript. in 6to.* Ludov. Molin. *de Primog. Lib. 2. §. 10. n. 77. & 78. & c. 11. n. 11. vers. 3. & Lib. 4. c. 7. n. 2.*

§. 34.

§. 34. Insuper omnes obligationes omniaq; jura defuncti transeunt in heredem, *L. 24. D. de V. S. L. 63. D. de R. J. L. 14. C. de rei vind. neque ex persona heredis conditio obligationis immutatur L. 2. §. 2. D. de Verb. Ob. L. 3. pr. D. quib. ex caus. in pos. L. 17. §. 5. D. de usuris.* Ut huic difficultati mederi queam, repetendam esse arbitror distinctionem inter qualitatem realem & personalem, §. 30. expositam, illa ad Successorem transit, hæc non; sed ossibus defuncti inhæret. Sic omnes obligationes ex contractu, quatenus de earum implemento agitur, ad heredes transeunt *L. 157. D. de R. Jur. L. 1. C. si cert. pet. L. 2. C. de hered. act. L. 36. §. 1. D. de hered. inst. L. 85. §. 1. de Verb. ob. L. 1. C. de except.* quatenus autem continent qualitatem personalem, ad heredes non transeunt, utpote, si alicujus industria electa *L. un. §. 9. C. de caduc. toll.* item si usus fructus promissus *L. pen. pr. C. de Usufruct.* sic etiam ad heredes obligatio ex contractu non transit, quoties ex concurrente delicto defuncti oritur *§. 1. Inst. de perpe. & temp. act. L. 7. §. 1. ibi. rei q; persecutione ff. Depositi.* Ratione fori obligationes videntur esse personales quia semper ex qualitate personæ metiendæ & ubi persona cui cohærent, forum competens habet, ibi etiam actiones hujusmodi instituendæ sunt. Quæ qualitas personalis cum, persona extincta, pariter extinguatur, heres in ea non repræsentat defunctum.

§. 35. Hinc qualitas illa personalis forum tribuens, non ad heredem devolvitur, nisi vel jam cum defuncto judicium cœptum. Tunc enim Minister Principis heres, adstringitur instantiæ cum defuncto inchoatæ, & quidem in eodem judicio *L. 34. D. de Judic. L. 34. D. de Fidej. c. 11. X. de Judic. Carlevall. de Jud. Tom. 1. T. 1. D. 2. Q. 5. n. 39. Myns. Cent. 3. Obs. 45. n. 2. & 3.* Alias enim continentia causæ dividenda foret, si, cœpta semel lite, novus judex esset adeundus, & novum judicium inchoandum, contra *L. 30. D. de Judiciis & L. 10. C. eod.* Ratio autem hujus assertionis videtur esse, quod per litis contestationem obligatio in judicium deducta, aliam naturam induisse videatur. In judicio enim quasi contrahitur *L. 3. §. 11. D. de pecul.* Dissentiunt nonnulli quos recenset Carlevallius *de Judiciis d. l. n. 312.*

E 2

§. 36.

§. 36. Neque nostræ sententiæ adversatur L. 25. §. fin. D. Solut. matr. ubi instantia cœpta cum delinquente, non transit in Fiscum. Quotiescunque enim bona delinquentis publicantur, Fiscus jure proprio eadem sibi vindicat, neque repræsentat delinquentem, ideoque instantia cum defuncto inchoata hoc casu non transit in Fiscum; nec obstat L. 57. D. de Jud. vid. Carlevall. de Judiciis Tom. 1. T. 1. D. 2. Q. 5. n. 313. seqq. Quoties vero Fiscus heres est institutus, utitur jure privati L. 30. §. fin. D. ad S. C. tum. Treb. L. 36. de Testam. & sic litem quæ contra defunctum inchoata, in eodem judicio sustinere tenetur L. 1. §. fin. D. de off. proc. Cesar. L. 46. §. 8. D. de Jure Fisci. Carlev. d. l. n. 316.

CAP. III.

DE

CAUSIS IN QUIBUS PRIVILEGIUM FORI CESSAT.

SUMMARIA.

<i>Ministri bona immobilia possidentes tenentur ad onera realia §. 1.</i>	<i>degradati non gaudent Foro Privilegiato §. 8.</i>
<i>Pariter & Milites & Clerici §. 2.</i>	<i>Ministri de Jur. Rom. Privilegio Fori expresse renunciare possunt §. 9.</i>
<i>Contrarium alicubi observatur & simul recensetur Privilegium Ministrorum Electorum §. 3.</i>	<i>In reconventionem Ministri Principis quoque tenentur §. 10.</i>
<i>Clericis negotiatio interdicta §. 4.</i>	<i>Tacita renunciatio Ministri Principis §. 11.</i>
<i>Ratione negotiationis Clerici Foro Privilegiato non gaudent §. 5.</i>	<i>Efficaciam renunciationi multi denegant. §. 12.</i>
<i>Idem obtinet in Militibus §. 6.</i>	<i>Ubi Minister Principis Foro Priv. renunciatus conveniendus §. 13. 14.</i>
<i>Ministri Principis qui simul sunt Cives in negotiis ad Civitatem spectantibus non gaudent foro Privilegiato §. 7.</i>	<i>In quibus causis prorogatio valeat §. 15.</i>
<i>Ministri Principis, Clerici, Milites</i>	

§. 1. Vi-

Videamus jam, quibus casibus Ministri Principum beneficio isto Fori Privilegiati uti nequeant. Et quidem ratione rerum immobilium certo loco sitarum vix ac ne vix exceptione Fori privilegiati sese tueri poterunt; bona enim hæc subjacent legibus & Statutis loci, in quo sita sunt, qua de re supra latius cap. 2. actum. Et hinc profecta esse videtur universalis fere practica, quod Ministri Principum, & aliæ personæ Privilegiatæ, haud secus ac alii Cives onera, prædiis, ædificiis, aliisque bonis, civico juri subjectis, inhærentia, sustinere, atque annuatim aliquid in signum recognitionis intuitu horum bonorum, pendere teneantur, Mylerus *in Hyparch. c. 9. §. 7.* & in aliis etiam casibus, velut in materia retractus, quoad ista bona, Statuta istius loci observare debeant, Mevius *Quest. Prelim. 3.* quamvis ab oneribus personabilibus, civibus aliis impositis immunes sint, Mevius *Lib. 2. ad f. Lub. Tit. 3. Art. 2. n. 22.* Minister enim Principis, hujusmodi bona sibi comparans, cum Magistratu loci, ubi bona sita sunt, quasi contrahere videtur, quod omnia onera hisce bonis imposita, non minus quam alii, sufferre velit. vid. Melchior Pelaëz a Meres *de Majorat. Hispan. Par. 1. Q. 58. num. 8.*

§. 2. Sic nec Militibus bona immobilia possidentibus, in oneribus & publicis functionibus exceptione Privilegii uti licet. *L. ult. C. ubi de curial. L. un. C. in quib. caus. milit.* Nec Clerici Pensionationibus Fiscalibus, propriis & privatis prædiis inhærentibus, prætextu Privilegiorum clericalium, sese exonerare possunt. *L. 3. C. de Episc. & Cler.* quamvis ratione Prædiorum Ecclesiasticorum, quæ ad sustentationem clericorum destinata sunt, extra casum necessitatis hujusmodi pensiones, non præstentur *L. 5. §. 11. C. de SS. Eccles.* De clericis tamen dissentit Carlevall. *Tr. de Jud. Tom. 1. Tit. 1. D. 2. Q. 6. Sect. 1. n. 393.*

§. 2. Quamvis vero supra dictum sit, Ministros Principis & sic quoque Professores aliasque personas exemptas, onera ejusmodi sufferre debere, hoc tamen non ubivis locorum obtinet, in hac materia enim, multum debetur consuetudini cujusque loci. Sic contrarium in Academia Gryphisvald. obtinere supra ex Mevio

retulimus *Cap. 2.* Nec Prætereundum hic cenfeo Singulare Privilegium Ministrorum Electorum, eorumque subditorum, quod a novis vectigalibus in Imperio Rom. Germ. tam ratione personæ quam ratione bonorum immunes sint, ita ut nullus Imperii Status eos, novo vectigali vel veteris augmento legitime licet impetrato, onerare possit, sed liberum iis comæatum, vel transitum per suas terras indulgere teneatur, per *Art. 23. Cap. Leopold.* vid. *Illustr. Dn. de Rhez in Inst. Jur. Pub. Lib. 2. Tit. 15. §. 4.*

§. 4. Cessat etiam ratio Fori Privilegiati quoties sese negotiationi ingerunt, & ita eadem cum aliis civibus conditione, uti velint. Quantum clericos attinet, his negotiatio lucri causa, interdicta est *c. 6. X. ne cleric. sec. neg. clem. 1. de Vita & honest. Cler.* Neque his textibus refragatur *L. 2. C. de Episc. & Cler.* qua Constantinus Imp. Clericis non solum facultatem negotiandi, verum insignia quoque negotiationis privilegia indulgit. *Glossa ad Can. 9. Dist. 88.* hunc nodum resolutura differentiam agnoscit inter Jus Civil. & Can. Illo jure Clericis mercaturam permissam; hoc vero, prohibitam esse existimat. Non tamen necessum esse arbitror, rationem solutionis in differentia Juris Civil. & Canon. quæ sivist, cum aliud medium superfit. Jus Canon. enim lucratoriam, mercaturam, personam Ecclesiasticam dehonestantem atque ei in officio suo remoram facientem, damnare videtur: Jus Civile, vero tantum necessariam ac œconomicam negotiationem Clericis concedit, ut quod superest in usum pauperum erogare possent. Quare & id quod ex ergasteriis vel tabernis Clericorum colligitur Religionis lucrum vocat Imperator *d. L. 2.* Et hinc ne exigua ista mercimonia, quæ Clericis licita esse voluerunt jura, justam quantitatem egrederentur, *L. 11. C. Theod. de Lustral. Collat.* terminos positos esse legimus, intra quos contineri debeat negotiatio Clericorum, ut honesta dici possit.

§. 5. Quod si itaque Clerici hæc honestatis limites turbaverint, & ter admoniti in negotiatione illicita nihilominus perseveraverint, siquidem conjugati fuerint, omni privilegio penitus privantur; si autem non sint; habitum clericalem quidem retinent, verum Privilegia amittunt, quoad res tantum, ita ut instar
Laico.

Laicorum tributa & vectigalia solvere cogantur. *Clem. 1. de Vita & honest. Cler.* vid. Petr. de Murga Æmilianensis *de Benef. Eccles. Quest. 10. Sect. 1. n. 134.* In eo autem, quod hic Auctor statuit *n. 22.* clericum negotiatione fori Privilegium non amittere, ab ipso recedo, & existimo, si Clerici ob mercaturam conveniantur coram Judice Laico, quod non possint ejusdem Jurisdictionem declinare Heet. Capyc. *Latro Decis. 173. n. 41.* vid. Dn. Brunm. *Jus Eccles. Lib. 1. c. 6. Memb. 10. §. 7. argum. c. ult. X. de vit. & honest. Cler. c. 4. de Cens. exact. & Proc. in 6. ac clem. 3. eod.* Ubi in Prussia Clerici ratione negotiationis conveniantur vid. *Jur. Prut. Proc. Jur. Tit. 10. §. 12.*

§. 6. Militibus quidem satis aperte, alienorum prædiorum conductiones interdictæ sunt *L. 31. C. de Locat.* ne omisso armorum usu, ad opus rurestre se conferant, & vicinis graves, præsumptione cinguli militaris existant; cui prohibitioni si milites contravenerint, statim sine prævia sententia, cadunt militia, & ex militibus pagani fiunt *L. ult. C. de Locat.* Quod si tamen alias negotiationes, armorum usum non ita impediens, exercuerint, non quidem illico cingulo se reddunt indignos, illius tamen Jurisdictionem, ad quem earum negotiationum cura pertinet, prætextu militiæ declinare nequeunt *L. 7. C. de Jurisd. omn. Jud. L. un. C. in quib. Caus. milit. for. vid. Carleval. de Judiciis Tom. 1. Tit. 1. D. 2. Q. 6. Sect. 4. n. 471.*

§. 7. Quod spectat reliquos Aulae Ministros in civilibus negotiis Principi inservientes, quamvis supra dictum sit, quod privilegium fori retineant, etsi alicubi contraxerint. Hoc tamen non intelligendum, si societatem mercatoriam iniverint, aut vulgari civium negotiationi sese applicuerint, jusve Civitatis acquisiverint; hoc enim casu Legibus societatis tenentur, atque Jurisdictioni ejus subsunt, ad quem hoc negotium alias spectat *L. fin. C. de Jurisd. omn. Jud.* Eadem namque persona juxta diversitatem Statuum in quibus versatur, diversas qualitates habere videtur, diversa munera subire tenetur, & ratione Officii foro privilegiato; ratione professionis autem insuper assumptæ, Foro huic professioni competententi

petenti subiectus est; singuli enim respectus tribuunt cuique id, quod juxta diversitatem competit Gail *de Arest. c. 6. n. 14. & seqq. Lib. 2. O. 124. n. 11.* vid. Mevius *ad Jus Lub. Qu. prel. 3. n. 45.* Hoc tamen insignem patitur restrictionem; si modo jura atque onera Professioni coherentia Officio Ministorum non repugnent, Mylerus *Hyparch. C. 9. §. 8.* id est, si singula ista munia totum hominem non requirant, sed vel distinctis temporibus commode obeantur, vel certorum sumptuum sibi invicem non damnosorum præstationem requirant, vid. Dn. Pufendorff. *Lib. 1. de Jur. N. & Gent. cap. 1. §. 14.*

§. 8. Supradictum, Ministros Principis delinquendo non amittere privilegium fori; amittunt tamen, si Minister principis ob delictum officio suo atque dignitate privatus, in sortem vulgarem conjiciatur. L. 7. & 12. *C. de Dignit.* Solenne est, quod Clerici qui delictum atrocissimum commiserunt exauctoratione dignum, detractis antea vestibus & insignibus Ordinis, Judici Laico tradi soleant puniendi tanquam Laici *Cap. 10. de judiciis*, degradationis solennia recensentur in *cap. 2. de pœnis in 6to*, Vestitui Clericali enim tantam credunt inesse efficaciam Pontificii, ut Clericus quoad iis indutus sit, à Laico non possit judicari; simul ac vero habitum clericalem vel sponte deposuerit, confestim sese privilegio fori indignum reddat *arg. clem. 2. de Vit. & honest. Cleric.* vid. Hecht. *Capyc. Latro Decis. 173. n. 35.* Sigismund. Scaccia *Tr. de Judiciis Lib. 1. c. 11. n. 54. & seqq.* vid. de nostris Clericis Dn. Brunnem. *J. Eccl. Lib. 2. C. 19. §. 4.* Milites pariter ob delictum Sacramento soluti atque insignibus militariibus privati, amplius Privilegiis militum frui nequeunt L. 13. §. 3. *D. de re milit.* imo hujusmodi missis olim nequidem morari licuit, ubi Imperator erat L. 2. §. 4. *D. de his qui not. inf.*

§. 9. Coronidis loco inquirendum nobis est, an Ministri Principis huic foro renunciare ac Jurisdictionem in alium Judicem extendere possint? quæ extensio Jurisdictionis practica vocatur prorogatio, vid. Carlevall. *de Judiciis Tom. 1. Tit. 1. D. 2. Q. 8. Sect. 1. n. 972.* De Jure Rom. res caret difficultate ob L. 29. *C. de pactis* in qua ista quæstio affirmative afferitur, ob rationem,

tionem, quod quilibet favori pro se introducto renunciare possit. An autem hujusmodi renunciandi pœnitere liceat, dubitari posset, propter L. 18. *D. de Pactis*. Verum supponendum esse existimo, in d. L. 18. prorogationem factam esse nudo pacto, quod Jure Romano saltem exceptionem, non actionem generabat, vid. Fachin. *Lib. 1. Contr. C. 61*. Hodie autem cum Pacti eadem efficacia sit, quam Stipulationis, Carpz. *P. 2. C. 19. Def. 17*. pœnitentiæ locus amplius non erit, licet nudo pacto Jurisdictio prorogata esset. Dn. Præses in *Ufu Mod. D. Lib. 2. Tit. 1. §. 25*. Dissent. Carlevall. existimans, etsi stipulatione prorogatio facta, nihilominus adhuc, antequam Partes Judicem prorogatum adierint, pœnitentiæ locum esse, *Tom. 1. Tit. 1. D. 2. Q. 8. Sect. 2. n. 1009. & seqq.* quod mihi videtur à Juris ratione alienum esse, conf. d. L. 29. *C. de Pact.* Cum Jure Civili conspirat Jus Can. *cap. 18. X. de For. Comp.* nisi quod ibi Clericis facultas denegetur, in Judicem non suum consentiendi, ob rationem, quod exemptio Fori à Jurisdictione Laicorum, integro Clericorum ordini tributa sit, cui privatorum pacto derogari nequit *c. 12. X. de For. Comp.* quæ ratio ab ipso Cujacio explosa est *ad d. c. 12.* qui propterea Pontificiis sese exosum reddidit, vid. Gonzalez *Comment. ad d. c. 12. X. de For. Comp.* Et hinc ista ratio apud Evangelicos in Causis Clericorum profanis pariter nullius est momenti.

§. 10. Prorogatur autem Jurisdictio, non tantum expressa prorogantium voluntate, de quo in §. *preced.* sed & dispositione legis; aut facto: Lege inducitur prorogatio in Reconventionis Judicio; ibi enim coram eodem Judice, ubi reum convenerat, respondere tenetur actor, licet alias judex iste esset incompetens *L. 14. C. de Sentent. & interl. om. jud.* Cujus enim in agendo observavit arbitrium, eum & contra se habere judicem in eodem negotio non dedignari debet, *L. 14. C. de Sent. c. 1. Caus. 3. Q. 8. L. 22. D. de Jud. L. 11. D. de Jurisd. Conf. L. 1. §. ult. D. qua Senten. sin. app. etiamsi esset Clericus, uti existimant Barbosa ad L. 29. D. de Judic. n. 82. Paulus Christinæus Vol. 4. Decis. 91. n. 7. & Vol. 5. Decis. 22. Eman. Gonzalez in Com. ad c. 1. X. de mut. pet. n. 13. dissent.*

F

Henric.

Henric. Canisius *ad Tit. X. de mutuis pet. n. 5.* Nec obstant *c. 2. X. de Judiciis c. 2. & 12. X. de For. Comp.* qui textus intelligendi sunt de conventionem principali, & de prorogatione quæ est hominis; non, quæ est legis, Nullum itaque dubium est, quin milites & reliqui Principis Ministri, si alium coram Judice inferiore convenierint, pariter hoc reconventionis iudicio teneantur vid. Dn. Præses in *Vol. 2. Disp. 16. c. 3. §. 11.*

§. 11. Tacite Ministri Principis foro suo Privilegiato renunciassentur, si actum quendam, voluntatem renunciandi arguentem ediderint V. G. Si (1) à iudice non suo citati compareant, non opposita exceptione declinatoria fori *arg. L. ult. C. de Except. Carlevall. de Jud. Tom. 1. Tit. 1. Disp. 2. Q. 8. Sect. 2. n. 990.* (2) Si negotiationem exercuerint, Wann sie bürgerliche Nahrung treiben vid. Mevius *p. 3. Decis. 404.* quod & in Milite & Clerico obtinere supra §. 4. & 5. diximus vid. Emanuel Gonzalez in *Comm. ad c. 18. X. de Foro Comp. Hect. Capyc. Latro Decis. 173. n. 41.*

§. 12. De Renunciatione Legali & tacita, quin adhuc hodie obtineat, vix dubium cuidam supererit; Voluntariam hodie nullius momenti esse, pene multi Practici statuunt, Matth. Stephan. *de Jdict. Lib. 1. c. 25. n. 52.* Frid. Pruckman. *Vol. 2. Conf. 20. n. 134. seq.* Joach. Schnobel. *Ex. 2. ad D. th. ii. Struv. S. I. C. Ex. 4. th. 59. & Jurisprud. Rom. Germ. Lib. 4. t. 4. §. 5.* pluresque alii, fecuti auctoritatem Gailii, Practicorum Germaniæ Antesignani, *Lib. 1. Obs. 40. n. 5.* prorogationem hodie nullius efficaciam existimantis. Quorum Sententiæ tamen, de consuetudine contra dispositionem juris attestanti, parum fidei habendum esse, existimo, imprimis cum alii Prorogationem adhuc hodie validam esse, ostendant, vid. Joach. Mynfinger *Cent. 1. Obs. 88.* conf. Dn. Francisc. Frid. ab Andler *Consil. Imp. Aul. in Jurispr. Lib. 1. Tit. 10. Part. 2. n. 24.* Neque rationes, contrariæ sententiæ hujusmodi sunt, ut aliquid contra dispositionem Juris Civilis obtinere valeant, quas abunde examinatas vid. in Dn. Eliæ Augusti Stryckii *Disquisit. Forens. de Efficac. Renunciationis Fori hodierna Memb. 3.*

§. 13. Ubi

§. 13. Ubi ergo Minister Principis conveniendus, qui Foro suo Privilegiato renunciavit? Distinguendum esse existimo inter simplicem seu nudam fori renunciatio- nem, & Prorogationem Jurisdictionis; quæ duo quamvis sæpe coincidunt, ac pro Synonymis habeantur, omnino ta- men inter se differunt. Renunciatio quippe est remotio saltem impedimenti, ut valeat Jurisdictio, quæ jam tum erat in habitu, sed poterat declinari exceptione fori decli- natoria, quæ renunciatio- ne removetur. Prorogatio au- tem Jurisdictionis est extensio ejusdem in judicem alias incompetentem: seu Prorogatio est discessus quidam à Judice proprio, accessusque ad judicem alienum Carlevall- de Jud. Tom. 1. Tit. 1. D. 2. Q. 8. n. 1061. Dn. Brunnem. de Proces. Civil. c. 7. n. 3.

§. 14. Quod si Minister Principis Privilegio fori nude renunciaverit, coram eo Judice conveniendus, ad quem negotium spectat, in quo Privilegio fori renuncia- tum. Sic si Minister Principis in Civitate aliqua municipali ejusdem Principis contrahens privilegio suo renun- ciat, coram Senatu Urbano, ubi contractus celebratus, conveniri poterit, quia Jure Communi forum Senatus est competens ratione contractuum; quod forum Minister Principis exceptione antea declinare poterat; cui exce- ptioni renunciando, sese submisit Jurisdictioni Senatus. Si vero Minister Principis Jurisdictionem prorogaverit, coram illo conveniendus, in quem Judicem compromis- sum, modo Judex ille Jurisdictione pccleat, certa- alioqui, quod non est, extendi nequit, arg. L. 5. D. de Precar.

§. 15. Pariter quando Jurisdictio concessa ratione certarum causæ qualitatum, tum ad alias personas, istam- qualitatem non habentes, extendi nequit. Hinc Jurisdictio unius speciei non potest prorogari ad diversam speciem: ut nec merum Imperium ad mixtum, nec viceversa. Spiritu-
F 2 tualium

QK
TK
4932

tualium causarum nulla quoque est prorogatio. Dominus Feudi non nisi de causis Feudalibus cognoscere potest hinc omnis cognitio circa causas non feudales ipsi interdicta, & viceversa. *arg. 2. F. 52.* nisi concurrentem habeat Jurisdictionem, conf. Carlevall. *de Judiciis Tom. 1. Tit. 1. D. 2. Q. 8. n. 1093.* Cancerius *Var. Resolut. part. 3. c. 10. n. 33.* Plura exempla in jure obvia hic afferre supersedeo, cum reliqua ex superioribus facile pateant. Quod si pro Materiae dignitate non omnia sint plene & accurate elaborata, veniam mihi a B. L. promitto. Deo autem pro viribus mihi concessis gratias ago immortales, ejusque directioni Studia mea porro devote commendo, cui sit Gloria in aeternum!



1077



STROR
constitui.
fonas quib
causas, in c
Tertium, c
rabit.

FOR

Significatio
Origo Fori §
Divisio fori
Diversitas §
de Jure Re
De Consuetud
Clerici §.
Jurisdictio i
competit §
Etiā Cr
§. 11.
Clerici ubi i §
§. 12.
Ubi Doctores
Ubi milites
§. 14.
§. 1.
cacione, de
bit, vel ab al
Comment. ad
accommoda
civium comp

olenius differere
ta. Primum per
et. Secundum
beat, exponet.
ndatur, enume-

DRUM
RE.

§. 15.
ipis & alii Offi-
Civil. & Pruten.

vel nudum Titu-
privilegio fori gau-
seqq.
inistrorum Prin-

ncipis domicili-
in Civitate, ubi
habitat §. 23 &

ntentia rejicitur

diversa signifi-
et satis consta-
zalez Tellez in
nstituto nostro
oi controversiæ
7. pr. ff. qui Sa-
tisd.

